Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sthomaedeaquinos0004bkru

BIBLIOTHÈQUE THOMISTE
Directeur : Pierre MANDONNET, O. P.
IV

S. THOMAE DE AQUINO

SUMMA OPUSCULORUM

ANNO CIRCITER 1485 TYPIS EDITA

VULGATI OPUSCULORUM TEXTUS PRINCEPS

AUCTORE

B. KRUITWAGEN, O. F. M.

COLLEGE
IBRARY
, California
Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

LE SAULCHOIR
KAIN (Belgique)
1924

BIBLIOTHÈQUE THOMISTE

Directeur : Pierre MANDONNET, O. P.

Le Saulchoir, KAIN (Belgique)

Volumes parus :

I. — BIBLIOGRAPHIE THOMISTE

par **P. Mandonnet, O. P.** et **J. Destrez, O. P.**

1 vol. gr. in-8° de XXI-116 pp. sur 2 col. . . . . **10** fr. (*franco* : **11** fr.)
Pour les abonnés de la *Rev. des Sc. Ph. et Théol.* **8** fr. (*franco* : **9** fr.)

II. — LA JUSTICE PRIMITIVE ET LE PÉCHÉ ORIGINEL D'APRÈS S. THOMAS

Les Sources. La Doctrine.

par **J.-B. Kors, O. P.**

1 vol. gr. in-8° de XII-176 pp. . . . . **10** fr. (*franco* : **11** fr.)
Pour les abonnés de la *Rev. des Sc. Ph. et Théol.* **8** fr. (*franco* : **9** fr.)

III. — MÉLANGES THOMISTES

(Voir au dos de la couverture)

1 vol. gr. in-8° de 410 pp. . . . . **28** fr. (*franco* : **30** fr.)
Pour les abonnés de la *Rev. des Sc. Ph. et Théol.* **23** fr. (*franco* : **25** fr.)

IV. — S. THOMAE DE AQUINO SUMMA OPUSCULORUM

Anno circiter 1485 typis edita
Vulgati Opusculorum Textus Princeps

Auctore **B. Kruitwagen, O. F. M.**

1 vol. gr. in-8° de VIII-96 pp.. . . . . **10** fr. (*franco* : **11** fr.)
Pour les abonnés de la *Rev. des Sc. Ph. et Théol.* **8** fr. (*franco* : **9** fr.)

En vente aux mêmes Bureaux :

LES ÉCRITS AUTHENTIQUES DE S. THOMAS D'AQUIN

par **P. Mandonnet, O. P.**

Seconde édition (1910) 1 vol. gr. in-8° de 158 pp. . . . . **10** fr. (*franco* : **11** fr.)
Pour les abonnés de la *Revue des Sc. Ph. et Théol.* . . **8** fr. (*franco* : **9** fr.)

LE DÉCRET D'INNOCENT XI CONTRE LE PROBABILISME

par **P. Mandonnet, O. P.**

Extrait de la *Revue Thomiste* (Sept. 1901-Janv. 1903) de 140 pp. . . **3.50** (*franco* : **4.50**)
Pour les abonnés de la *Rev. des Sc. Phil. et Théol.* . . . . . **2.50** (*franco* : **3.50**)

S. THOMAE DE AQUINO SUMMA OPUSCULORUM

BIBLIOTHÈQUE THOMISTE
Directeur : Pierre MANDONNET, O. P.
IV

S. THOMAE DE AQUINO

SUMMA OPUSCULORUM

ANNO CIRCITER 1485 TYPIS EDITA

VULGATI OPUSCULORUM TEXTUS PRINCEPS

AUCTORE

B. KRUITWAGEN, O. F. M.

ALMA COLLEGE
208.65
LIBRARY
B471
Alma, California

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

LE SAULCHOIR
KAIN (Belgique)
1924

32388

IMPRIMATUR

Fr. Simon Bennenbroek, o. f. m.
Minister Provincialis.

Werthae (Hollandia), 1 Julii 1924.

IMPRIMATUR

Insulis, 21 Octobris 1924.

G. Delbroucq
v. g.

FRANCISCO EHRLE

VIRO CLARISSIMO

TITVLI SANCTI CAESARII IN PALATIO

DIACONO CARDINALI

ANNVM OCTOGESIMVM AGENTI

FELICITER

Scriptio haec, prolixior quam ut inseri posset operi « Miscellanea-Francesco Ehrle », mense Octobri huius anni prodituro, separato exhibetur volumine. Quod Eminentissimus Dominus Cardinalis praecipua erga auctorem condescensione sibi dedicari permisit.

Singularem quoque habeo gratiam Rmo. D. Johanni Mercati, Bibliothecae Vaticanae Praefecto, atque R. Patri P. Mandonnet, O. P., pro singulari qua commentationem hanc diiudicaverunt benevolentia.

Woerden (Holland) fr. Bonaventura Kruitwagen
xvi. kal. Iulii, an. 1924 O. F. M.

CONSPECTUS

SECTIO I

S. Thomae de Aquino Summa opusculorum 3

SECTIO II

De origine Summae Opusculorum 6

SECTIO III

De auctore Summae Opusculorum 12

SECTIO IV

De editionibus antiquioribus in Summa Opusculorum adhibitis 16

SECTIO V

De Prologo auctoris 20

SECTIO VI

De editionibus recentioribus. 28

SECTIO VII

Pertractatio singulorum opusculorum. — Observationes miscellaneae 37

APPENDICES

Appendix I. Tabula collativa opusculorum S. Thomae . . . 71

» II. Codex ms. Musei Meermanno-Westreeniani (Claromontanus 540 ; Meermannianus 481) . . . 76

» III. Petri de Bergomo tabula super omnia opera S. Thomae saeculo XV. quater, non quinquies edita 82

Index nominum propriorum et rerum 91

SECTIO I

S. Thomae de Aquino Summa opusculorum

Quae saeculis potissimum XV. et XVI. typis prodierunt operum theologicorum et philosophicorum editiones, male plerumque apud peritos audiunt. Et recte. Saepe namque et multum ea aetate accidit, ut opus quodpiam typis transscriberetur ex primo quoque codice manuscripto alicubi invento. Quo autem frequentius idem opus denuo vulgabatur, eo longius a suo archetypo discedere pergebat, typothetarum inscitia et correctorum incuria denuo semper corruptum. Perpetuo nihilominus bibliopolae, quaestui servientes, quorumcumque operum editiones « novissimas », immo « ultimas » venales afferebant, in ipsa librorum fronte sollemniter protestati, mendaciter plerumque, ipsos libros prodire « innumeris quibus scatebant mendis emunctis », quin etiam « ad fidem antiquissimorum codicum limatos ». Quo factum est, ut viri haud pauci, doctrina theologica et philosophica caeteroquin apprime eruditi, spuria quaeque habebant pro genuinis, corrupta pro castigatis, interpolata pro cribratis. Litterate enim illi parum periti, haud dissimiles erant sacerdoti, a Melchiore Cano irrisorie laudato « cui persuasissimum esset, nihil omnino esse falsum, quod semel fuisset typis expressum » [1].

Sed non omnes istius temporis editiones eadem, ut dicitur, tractare licet pertica. Quas perstrinximus, venditari eo momento coeperunt, quo ars typographica, quae vix inventa « ars divina » vocabatur, eo dilapsa fuerat, ut « ars multiplicandi » dumtaxat appellari mereretur. Quod passim anno 1490 accidisse compertum est. Post experiundi namque tempus, quod proto-typographiae vocant (1460-1470) [2], postque dignam illam elegantiam atque venustatem, quam in libris annis circiter 1470-1490 vulgatis admirari licet, ars typographica evanescere coepit perniciosa illa aemulatione, qua

1. *De locis theologicis*, l. XI, c. 6, circa finem (ed. Lovanii 1564, p. 565).

2. Annorum hi numeri, pro regionum varietate varii, ad generalem tantummodo artis typographicae processum spectant.

bibliopolae praecipue Veneti, Lugdunenses, Parisienses, Basilienses, Argentinenses et Norimbergenses lucro invicem privare conabantur. Postpositis hi venustatis accurationisque legibus, id unum paene omnes aspirabant, ut quam maximam verborum copiam in quam minimum pagellarum condensarent numerum.

Iis autem ipsis libris, inde fere ab anno 1490 et deinceps modica cura sed grandi nimis numero editis, nostri adhuc temporis bibliothecae potissimum replentur, iidemque a viris doctis, si quando ad quae vocantur « incunabula » manum porrigunt, plerumque evolvuntur. Libri contra vetustiores multoties ab ipsis negliguntur, tum quia vitiosos eos putant et mancos, tum etiam quia hi libri, utpote paucioribus exemplaribus olim editi, difficilius inveniuntur. Attamen inter ipsas editiones vetustiores haud paucae existunt, quae, propter earum cum codicibus manuscriptis summam connexionem, tam historicae quam criticae litterarum rationi inserviunt.

Exempla liceat referre, quae ad ipsa S. Thomae opuscula pertinent.

Quetif-Echard (1719) et De Rubeis (1750) demonstrarunt, celeberrimum opusculum *De regimine principum*, cui nativa inscriptio fuisse videtur *De rege et regno ad regem Cypri*, quodque 81 habet capitula in 4 libros distincta, magnam partem non esse S. Thomae. Ipsi tamen definire non sunt ausi, quibus verbis ipsa pars a S. Thoma conscripta concluditur, et continuatoris additamenta incipiunt. Recenter tamen viri doctissimi Martinus Grabmann et Joseph Endres, novam rationem, quam philologicam criticam vocant, ingressi, firmissime e codicibus saeculi XIII. probarunt, partem a S. Thoma exaratam desinere verbis : « corpora estate infirma redduntur » (l. II, c. 2. Endres), vel, aliis codicibus testibus : « ut anime hominum recreentur » (l. II, c. 4. Grabmann) [1]. Haec eadem tamen iam cognosci poterunt ex duabus editionibus vetustis, quarum una typis prodiit Coloniae circa annum 1472, altera Ultraiecti (Traiecti ad Rhenum, Utrecht), c. a. 1473. Utraque editio 18 tantum habet capitula. Ultraiectensis inscribitur *De rege et regno ad regem Cypri* desinitque verbis « infirma redduntur » ; Coloniensis vero opusculum inscribit *De regimine principum*, illudque concludit verbis « hominum recreentur » [2]. Ex quibus manifestum est, utriusque editionis textum

1. Vide quae infra notabimus ad Opusculum 20.

1. Cf. S. Thomas de Aquino, *De regimine principum*. S. n. l. a. [Coloniae, Arn. Therhoernen, c. 1472] 4°. Optime haec editio describitur ab E. Voulliéme, *Der Buchdruck Kölns bis zum Ende des fünfzehnten Jahrhunderts* [librum designabimus siglis : VK.] (Bonn 1903), n. 1174 ; ab L. Hain, *Repertorium bibliographicum... ad annum MD.*, Vol. I. 1 (Stuttgartiae 1826), n. *1487, et a M. Pellechet, *Catalogue général des incunables des bibliothèques publiques de France*, I (Paris 1897), n. 1073. Verbotenus iterum typis vulgata fuit haec editio ab eodem typographo

derivatum esse ex codice aliquo saeculi XIII., ipsosque codices origine fuisse prorsus diversos.

Aliud praesto est exemplum de quadam narratiuncula, quae nuper a cl. Grabmann eruta fuit e descriptione cuiusdam codicis qui, ut videtur, periit. Sermo ibi est de Domini Iesu apparitione eo tempore, quo S. Thomas scriptum quoddam absolverat de SS. Sacramento. Eadem narratio, mutata dictione, exstat in vitis S. Thomae, quas conscripserunt Guilielmus de Tocco, Bernardus Guidonis, S. Antoninus, aliique. Neque tamen auctores illi, nec codex cuius vestigia invenit Grabmann, nos docent, ad quod S. Thomae opusculum narratiuncula sit referenda. Auxilio autem nobis iterum sunt editiones vetustae, saltem decem inquam, inde ab anno 1473 vulgatae. Eandem verbotenus praebent narratiunculam, eamque subnectunt opusculo 59 : *De sacramento eucharistie ad modum x. predicamentorum* [1].

Pauca demum verba faciamus de catalogo operum S. Thomae, quem confecit S. Antoninus († 1459). Consentiunt eruditi omnes, inter S. Thomae opuscula a S. Antonino non enumerari opusculum 38 : *De demonstratione*. Et si inspicis catalogi Antoniniani editionem, quam « emendavit » Petrus Maturus S. I. (Lugduni 1587), quaeque vere « editio communis » est, uti aiunt Quetif-Echard, re ipsa comperies, rem ita se habere. Ast si manum extendere velis ad editiones vetustiores non-emendatas, miraberis vehementer, opusculum 38 a S. Antonino disertis verbis, licet truncatis, nominari [2].

Catalogi Antoniniani verba truncata, quae, ni fallor, in ipso S. Antonini autographo inveniebantur, non solum Editores Romanos anno 1571 induxerunt, ut opusculum 38 inter spuria reiicerent, sed et iam circa annos 1480-1485 perplexitatem inferebant in quemdam Fratrem Praedicatorem anonymum, qui tunc temporis quotquot invenire potuit S. Thomae opuscula in unam digessit *Summam opusculorum sancti Thome*.

De quo splendidissimo libro antiquo, qui eruditorum hucusque effugit oculos, fusius disserere nunc properamus.

---

c. a. 1480 (Voulliéme 1175 ; Hain *1486 ; Pellechet 1072 ; *Catalogue of books printed in the XVth century now in the British Museum* [utimur deinceps siglis : BMC], I, London 1908, p. 210). — S. Thomas de Aquino, *De rege et regno ad regem Cipri*. S. n. l. a. [Utrecht, Nic. Ketelaer et Ger. de Leempt, c. 1473] 2°. Describitur a M. F. Campbell, *Annales de la typographie néerlandaise au XV^e siècle* (La Haye 1874), n. 1666. Hain *1488 (cf. Corrigenda, p. 595) ; vide etiam Voulliéme, S. 490. Pellechet 1074.

1. Plura hac de re cf. infra ad opusculum 59.

2. Plenius de S. Antonini catalogo, in quo adhuc tria alia opuscula per manifestum errorem praetermissa fuerunt, scribitur infra, p. 34 ss.

SECTIO II

De origine Summae Opusculorum

argens est volumen, nitidissimis typis excusum, folia habens 574, nmIginibus late ornata (350×240 mm.); quod etiam imago phototypice expressa, heic addita, belle demonstrat. Tota libri facies manifestat, nec laboribus parsum fuisse nec sumptibus, ut praecipua prodiret elegantia [1].

Libri origo in obscuro est. Hoc unum patet ex Prologo, quod quidam frater ordinis Praedicatorum, qui seipsum designat « inutilem didascalum », collegit S. Thomae opuscula 70, idque « non sine ingenti labore et fatigatione multis retroactis annis in diuersis mundi climatibus... ex diuersis liberarijs ». Quis autem ille fuerit, ubinam habitaverit, cuinam demum volumen tradiderit typis excudendum, nullibi docemur. Ex typorum indole atque facie, ex totiusque libri natura perspicuum est, eum annis circiter 1480-1485 prodiisse ; et quos in consilium adhibui viri maxime periti : M.-L. Polain Parisiensis, J. V. Scholderer Londinensis et E. Voulliéme Berolinensis, opinantur, librum fuisse typis vulgatum sive in Gallia, sive in Neerlandia meridionali (Belgio). Quae ceteroquin facile congruunt, si cum cl. Polain ponimus, librum originem trahere ex Gallia Belgica, id est, ex pristina dioecesi Morinensi (Thérouanne) [2]. Unus tamen Robertus Proctor († 1903), vir in diiudicanda librorum saeculi XV. origine longe peritissimus, haesitavit utrum liber vulgatus esset in Gallia an in Hispania [3].

---

1. Describitur liber a PELLECHET 1091. Item a J. W. HOLTROP, *Catalogus librorum saeculo XV° impressorum quotquot in Bibliotheca Regia Hagana asservantur* (Hagae-Comitum 1856), p. 492, n. 910. E. VOULLIÉME, *Die Incunabeln der königlichen Universitäts-Bibliothek zu Bonn* (Leipzig 1894), n. 1125. Exemplaria exstant Berolini, Bonnae, Duaci, Gandavi, Hagae-Comitum, Parisiis, Ultraiecti, Woerden.

2. PELLECHET 1091, dubitans quidem, librum putat vulgatum a typographo Veneto, forte a Vindelino de Spira. — Semel monitos volo studiosos, typographorum nomina, loca et annos, quae Pellechet suo marte apposuit, non raro esse erronea, saltem in primo eiusdem Catalogi volume.

3. R. PROCTOR, *An index to the early printed books in the British Museum... to*

Iure Proctor typographum ignotum aestimat artem exercuisse annis circiter 1480-85. Si autem libri aetatem accuratius velimus definire, ponendum est, eum potius circa annum 1485 prodiisse. Patet namque ex Summae opusculorum Prologo (n. 5), fratrem Praedicatorem anonymum non ante annum 1473, quo primo prodiit Petri de Bergomo *Tabula*, colligendis S. Thomae opusculis incubuisse. Quum autem, dum librum typographo traderet vulgandum, fateatur, se « multis retroactis annis » operi insudasse, aequum est ut opinemur, eum decem circiter annos (1474-1484) operi digerendo atque typis excudendo insumpsisse.

Licet autem virorum laudatorum sententia de libri origine Gallo-Belgica vix mihi videatur dubia, aliam tamen opinionem proponere audeo, volumen nempe typis prodiisse in regione, quae Burgundia olim vocabatur, eiusque typographum oriundum fuisse ex vicina Basilea urbe. An ille fuerit celeberrimus Michael Wenssler typographus, definire non ausim. Constat tamen eum circa annos 1483-1485 operam typographicam, quam Basileae exercebat, intermisisse. Quidquid est, in *Summa opusculorum* (quam deinceps siglis SO indicabimus), inveniuntur nonnullae res peculiares typographicae, ex. gr. in serie litterarum quibus fasciculi signantur, quae reperiuntur in libris Basileae editis[1]. Non tamen in ipsa Basilea civitate, nec in alia quacumque ampla urbe liber mihi videtur editus. Absque dubio vulgatus fuit ab uno ex illis typographis vagis, qui — nonnunquam sane propter delictum alicubi commissum, vel propter debita quibus gravabantur pecuniaria — per terras vicinas vel remotas huc et illuc migrantes, prelum domiciliumque collocare consueverunt in pagis, vicis, praesertim autem in monasteriis, prelo subiicientes ea quae ibi imprimenda eis tradebantur, puta libros usui scholarum destinatos, versus vel libellos populi ingenio accomodatos, et saepe etiam libros liturgicos, alicuius ordinis religiosi usibus adaptatos.

Haec nostra opinio hoc praecipue fulcitur, quod typographus ille, qui nomen et locum et annum in suis libris pertinaciter tacet, tres tantum edidit libros, qui sunt :

---

the year MD., II (London 1898), p. 649, n. 8807-08. Proctor *Summam opusculorum* non vidit, sed alia duo opera, ab eodem typographo iisdemque typis vulgata.

1. De libris Basileae hoc tempore typis vulgatis multa eaque praeclara inveniuntur in BMC. III (London 1912), p. 713-798. — Michael Wenssler, qui vitam vario modo tumultuosam agebat, typographi munus exercuit Basileae (1472-91), dein Cluniaci (1492-93), Matisconae (1494), ac tandem Lugduni (1495-98). Cf. J. V. Scholderer, *Michael Wenssler and his press at Basel* in *The Library*, 3d series, III (London 1912), p. 283-321. BMC. III, 717-718.

tionē ⁊ hoc est nichil in actu sed per so
lā materiā subici generatiōi oz. et hoc
est q̄ ꝓmētator dicit ibidē q̄ cū eē ma
terie ꝑme nō āministrat⁹ act⁹ impossi
bile ē q̄ moueat⁹. et paulop⁹ addit q̄
generatio in sb̄na non ē qm̄ qđ genẽa
tur in ea est nō ens simplr̄ ens in potē
tia qm̄ transmutat⁹ ⁊ exit de potentia
in actū ⁊ non ē ita de gn̄atione accñtz
transmutatū em̄ in eo ē ens in actu liz
transmutet⁹ ꝑm qđ est ens in potentia
ecce ꝑm ꝓmentatorē q̄ rō pḣi ꝓcedit
per cām ⁊ ꝑ ꝓñs demonstratiue gn̄a=
tio non ē motus vt ibidē dicit Qui er
go ꝓcedit q̄ generatio nō ē mot⁹ ⁊ nō
apud gn̄ationē manet aliq̄d in actu ip
se ꝓcedit effectū ⁊ negat cām ipi⁹ Alia
cauillationē alij ponūt dicentes ꝓpo=
sitionē pḣi scz qđ generat⁹ est non ens
simplr̄ verā eē in rebus aiātis non ām i
rebus inaiātis ꝙtum ad generationē
que ē inductio vltime forme Sed ist đ
est impossibile q⁹ cū scientia libri pḣi=
coꝝ ē de vltibus nature ⁊ ita se extēdit
bere nisi vnā formā impossibile ē Ecce
q̄ ꝓmentator assignat cām q⁹ materia
dū hab⁹ vnā formā non potest recipe
aliā q⁹ impossibile ē q̄ vnū subiectum
haberet nisi vnā formā. et hui⁹ rō sup̄
dicta est q⁹ vna includit ꝓuationē alte
rius in materia Jn libro aūt suo de ge
neratione multa dicit ad istā q̄stionē
et similiter in libro pḣicoꝝ q⁹ eadē est
sententia cū supradictz ideo ꝓtránseo
ne ꝓpter multitudinē auctoritatū lec=
tori fastidiū generetur

Opusculū xlvi.

Tractatus sancti thome de dimensio
nibus interminatis qui incipit post⁊
de principijs

Hic tractatus ꝓcordat cum opusculo
xxxij.q̄ est de natura materie ⁊ dimen

est ex subiecto in sbiectū. Talem aute dicit solū esse inter ↄtraria vl' media et ita cū in sbūs nūq̄ sit ↄtrarietas sic ꝙ vl'r sit ꝓbatum de ōib⁹ substantūs ꝙ generatio earū non est mot⁹ ꝛ ꝓptēa illa cauilatio pri⁹ expulsa est per lrām phi ṗmo de genēatōe vbi dicit h̄ idem Patet ergo ſm phm ꝙ optet dicē vt nulla forma maneat in generatiōe vt vitem⁹ hoc inↄueniens scʒ generatio nē eē alteratione. cōmentator ei in mlt tis locis ad intentionē phi dicit ṗmo phicoꝝ. Q; si materia ṗma habēt aliq̄ formā sibi ꝓportionatā tunc genera= tio in substantia eēt alteratio Dicit et; in libro de sba orbis ꝙ generatio ꝛ al= teratio differūt in h̄ ꝙ aris. vocat trāl mutationē indiuiduoꝝ in suis substā= tūs cogere suū subiectū nō esse ens ac tu ꝛ non habere formā q̄ subiciatur. si em̄ haberet formā nullā aliam recipet nisi illa destructa vnū em̄ subiectū ha=

[illegible]
lum hic interseruim⁹

Opusculū xlvij.

Tractat⁹ s. tho. de natura silogismoꝝ

Qvoniā scire ē cām rei ↄg noscere. cause āt cuiusli= bet entis ꝑ se sunt qua= tuor scʒ efficiens mate= rialis formal' ꝛ final' Ad ꝑfecte ↄgnoscendū vnūqdq̄ oꝫ has q̄ tuor causas ↄgnoscere Est ergo cā ef= ficiens silogismi aiā rōnalis vñ silogis mus ē actus rōis. materia vēo ei⁹ est tres t'mini tāq̄ materia remota ꝛ due ꝓpōes tāq̄ ꝓpinq̄ ꝛ hoc sil'r est in silo gismo sicut in ceteris reb⁹ cōstantib⁹ ex materia ꝛ forma ꝙ est reꝑire in eis duplicē materiā que dcā ē. finis silogis

SUMMA OPUSCULORUM S. THOMAE (S. n. l. a. Pellechet 1091), f. 348 b.

1. Lucianus Samosatensis, *Charon maior* (10 folia, 4°) [1].
2. S. Augustinus, *Quinquagena in psalmos* (3 voll., 706 folia, 2°) [2].
3. S. Thomas, *Summa opusculorum* (574 folia, 2°).

Ex magnis quae prelo submittere ausus est voluminibus, et ex modo quo artem exercuit, manifestum est, eum fuisse artificem peritissimum. Nihilominus semper et ubique adhibet typos eiusdem mensurae, nullisque unquam utitur ornamentis typographicis, puta litteris quas vocant initialibus, imaginibus ligno incisis, rubricarum signis, officinae sigillo, aliisve id genus. Ex quibus cognoscere licebit, typographum id studuisse, ut artis instrumenta, machinae et utensilia quaeque essent paucissima, ita ut satis facile ab uno loco in alium possent transvehi. Adde hunc artificem post tria opera affabre excusa, nullo relicto vestigio evanuisse, nullumque eius aetatis typographum iisdem litterarum formulis postea usum fuisse. Non manifeste quidem ex hisce probatur, sed tamen coniectura facile assequitur, typographi nostri curriculum, quo tres libros laudatos vulgavit, breve satis fuisse, eiusque officinam, in ignobili loco constitutam, ex inopinata fortasse calamitate, puta incendio, bello, peste prorsus fuisse exstinctam.

Ast sive in oppidulo sive in magna civitate habitaverit typographus, nil certi dicere possumus de regione in qua vixerit. Nec adminiculo fuerunt investigationes, caeteroquin vix inchoatae,

1. Quum in hoc libello occurrant personarum nomina, quorum ope typographi vestigia, indeque etiam fratris Didascali, persequi fortasse licebit, haec addere iuvat. Luciani opus versum fuit ex graeco in latinum a « Phinicio » (Rinucio d'Arezzo ? c. 1460), et dedicatum Iohanni (Iuveni, le Jeune) Cardinali, episcopo Morinensi. Hic fuit decanus Nannetensis, canonicus Tornacensis, dein episcopus Matisconensis (1431), Ambianensis (1433), demum Morinensis [Thérouanne] (1436). Ab Eugenio IV renuntiatus Cardinalis presbyter S. Praxedis (1439), episcopatu retento, translatus fuit ad S. Laurentium in Lucina (1441 ?), et mortuo Eugenio parum abfuit quin Summus eligeretur Pontifex. Obiit Romae die 9 Sept. 1451, anno aetatis circiter 40. Cf. A. Ciaconius, *Vitae et res gestae Pontificum*, ed. A. Oldoinus, II (Romae 1677), col. 912 s. C. Eubel, *Hierarchia catholica medii aevi*, I (Monasterii 1913), p. 331 ; II (1914), p. 86, 196, 8, 64, 63 ; Append. I, p. 27 ss., n. 33, 100, 109, 110, 144. *Repertorium Germanicum. Regesten aus den Päpstlichen Archiven*, I (bearbeitet von R. Arnold), Berlin 1897, n. 121, 158, 203, 315. F. J. Foppens, *Bibliotheca Belgica*, II (Bruxellis 1739), p. 668 s. L. von Pastor, *Geschichte der Päpste*, I (Freiburg 1901). S. 310. Phinicius libellum transtulit rogatu amici, qui fuit « Seraphius Vrbinas vir utriusque iuris interpres nostri temporis primarius ». Exemplar rarissimi libelli servatur Oxoniae in Bibliotheca Bodleiana, cuius Praefecto accuratam voluminis descriptionem heic refero acceptam. Alterum exemplar nuper venale habebatur apud J. Tregaskis (Caxton Head Catalogue 850, London, January 1922, Nr. 159. Pretium £. 20.00). — Observes velim, inter fratres Praedicatores, qui a capitulo generali, Novimagi anno 1459 habito, assignabantur magistri in parvis scholis Parisiensibus, enumerari quemdam fratrem,qui Ioannes Iuvenis vocabatur. Cf. *Monumenta Ord. Praed. historica*, ed. B. Reichert, VIII, Romae 1900 = (*Acta capitulorum generalium*, III), p. 277, lin. 24.

2. Exemplaria exstant Parisiis (Maz., vol. II-III ; S. Genov., vol. III), Insulis (vol. I-II), Bonnae (vol. I), Londini (vol. I), Oxoniae,Hagae-Comitum. Descriptiones operis vide apud Pellechet 1484 ; Holtrop 913 ; Voulliéme-Bonn 127.

quas habuimus tum de officinae chartariae signis in librorum chartis impressis (filigrane), tum de bibliothecis ad quas nostri typographi editiones saeculo iam XV. devenerunt, necnon de librorum ab eo vulgatorum involucris. Quae de his rebus hucusque collegimus docent, coniecturas nostras de typographi origine sive Gallo-Belgica, sive Burgundica exinde nec firmari, nec infringi [1], praesertim quum facile fieri potuerit, ut typographus vagus, tres quas typis excudit editiones, in diversis regionibus vulgaverit.

1. Plura hac de re disserere meditatur cl. M.-L. Polain, cui inde iam ab aliquibus annis in animo erat, de typographi origine ac domicilio fusius tractare.

SECTIO III

De auctore Summae Opusculorum

Nec tamen de *Summae opusculorum* origine typographica tam diffusum sermonem, legentibus forte taediosum, contulissem, nisi arcte ei coniuncta esset inquisitio de nomine et vita fratris « Didascali ». Pro certo enim habere possumus, fratrem Didascalum post collecta S. Thomae opuscula 70 typographum evocasse ad eundem, in quo ipse habitabat locum. Praecipue id arguitur ex eo, quod, sicut ex ipso volumine demonstrari potest, nonnulla fuerunt immutata vel addita [1], dum liber sub prelo sudabatur.

Si itaque ponimus, SO typis fuisse excusam in Gallia Belgica, consequens est, ut fratrem Didascalum quaeramus in conventibus Fratrum Praedicatorum Insulensi, Audomaropolensi, Valencenensi, Bergensi, Duacensi, Yprensi, vel in horum vicinia [2]. Si contra librum existimamus vulgatum in partibus Burgundicis, frater Didascalus putandus est incoluisse conventus Divionensem, Belnensem, Matisconensem, Burgensem, Poliniacensem [3], etc.

Inter Fratres Praedicatores quos suspicari licet, in colligenda SO operam posuisse, primo occurrit nomen magistri Mathurini Espiardi, qui sodalium sui ordinis opuscula diligenter colligere solebat, et in singularia comportare volumina. Conquisivit enim et transscripsit vel transscribi fecit opuscula Iohannis Nider, Iohannis de S. Geminiano, Leonardi Matthaei (de Utino), Raphaelis de Pornaxio, necnon orationes anno 1463/64 coram Pio II a Fratribus Minoribus et Praedicatoribus habitas in celebri controversia de sanguine Iesu in cruce effuso. Cum autem Mathurinus inde ab

1. Cf. adnotanda ad Prologi, n. 7 (p. 26).

2. Id est : .ille, Saint-Omer, Valenciennes, Bergues-Saint-Winnoc, Douai, Ypres. Hi conventus ea aetate spectabant ad provinciam Franciae. Nonnulli tamen uberant iurisdictioni Congregationis Hollandicae, quae strictiorem propagabat regulae observantiam. Saeculo XVI pertinebant ad provinciam S. Rosae in Belgio. Cf. QUETIF-ECHARD I. vj ; II. ij ; xviij. B. DE JONGHE, *Belgium Dominicanum* (Bruxellis 1719), p. 3-15. R. P. MORTIER, *Histoire des maîtres généraux de l'ordre des Frères Prêcheurs*, IV (Paris 1909), p. 587, n. 1.

3. Vernacule : Dijon, Beaune, Mâcon, Bourg-en-Bresse, Poligny. Etiam hi conventus erant provinciae Franciae (QUETIF-ECHARD, II. ij).

anno 1470 socius esset Martialis Auribelli, magistri generalis (1453-62 ; 1464-73), sine dubio « in diuersis mundi climatibus » commoratus est. In capitulo generali anno 1487 Venetiis habito demandatum ei fuit, ut quamdam de terminis [1] litem componeret inter conventus Audomaropolensem et Insulensem ; ex quo intelligi potest, terras Gallo-Belgicas ei haud plane fuisse incognitas.

Attamen multo frequentius Mathurinum Espiardi in partibus invenimus Burgundicis degentem. Alumnus erat conventus Divionensis, et die 1ª Augusti anno 1500 moritur in conventu Belnensi ab ipsomet anno 1477 fundato, ubi et satis diu habitavit. Demandata ei etiam fuit reformatio conventuum Matisconensis et Burgensis (1481), prior erat conventus Lugdunensis (1482), prope terras Burgundicas ad meridiem versus siti, in eademque regione negotia expedivit conventuum Annesiensis (Annecy) et Montismiliani (Montmélian) [2].

His tamen opponendum est, Mathurinum Espiardi in codicibus quos descripsit vel describi fecit, semper, quantum scimus, nomen suum posuisse. Vix igitur admitti potest, eum in tam ingenti tamque sollemni volumine, quale est SO, nomen tacuisse. Accedit quod nullibi legimus, Mathurinum unquam vacasse operibus theologorum saeculi XIII. scholasticorum. Auctores contra quorum colligendis operibus totus erat intentus, aetate illi erant coniuncti. Iohannes Nider obiit anno 1438, Raphael de Pornaxio a. 1467, Leonardus de Utino circa annum 1470, et controversia de sanguine Iesu annis 1463-64 habita fuit. Unus Iohannes de S. Geminiano saeculi erat XIV. ; dicitur enim obiisse circa annum 1323.

Restat igitur, ut alium quaeramus fratrem Praedicatorem saeculi XV., qui *Summam opusculorum* digerere potuerit.

Legas, velim, quae anonymus ille Gallus, qui anno 1512 vulgavit additiones ad Trithemium, memorat de quodam Laurentio Gervasii :

---

1. De usu terminorum cf. MORTIER III. 299 ss. ; IV. 619 ss.

2. De Mathurino Espiardi cf. QUETIF-ECHARD I. 895. MORTIER IV. 417 ; 553 s. ad infimas pagellas. De sodalium opusculis ab Espiardo collectis, QUETIF-ECHARD I. 793, sub 4 ; 794 (Nider) ; 831 (Raph. de Pornaxio) ; 822-825, 824a (De sanguine Iesu) ; 845, 895 s. (Leonardus de Utino). Quae QUETIF-ECHARD (p. 895) ex epistola Jodoci Badii memorant de sermonibus Leonardi de Utino, a Iohanne de Genas, O. P. editas, et ex Mathurini Espiardi manibus quasi clam ereptis, integra exhibet PH. RENOUARD in praeclaro opere *Bibliographie des impressions et des œuvres de Josse Badius Ascensius, imprimeur et humaniste, 1462-1535*, III (Paris 1908), p. 313 s. (ex HAIN *16139). Ex eodem RENOUARD docemur, sermones funebres Iohannis de S. Geminiano eadem arte a Iohanne de Genas ex schedulis Mathurini senescentis fuisse editas (l. c., pag. 243 s. Ex HAIN *7548). — Conventus Lugdunensis, Annesiensis et Montismilianus, in quibus Mathurinus Espiardi commoratus est, etiam erant de provincia Franciae.

Laurentius geruasii de conuentu Lexouiensi [Lisieux]. ordinis predicatorum in normannia. Regnante Ludouico vndecimo Francorum rege apud Parisios clarus habitus est : doctor theologus : vir vtique scientia et doctrina famatissimus : qui propter excellentem eius sapientiam cum maxime sanctissimi doctoris Thome aquinatis doctrinam calleret ad reformandum in melius Coloniense studium missus : cum ibidem supra modum profecisset exinde rediens apud diuionum [Dijon] burgundie oppidum spiritum reddidit : ibique cum fratribus sui ordinis sepultus : vtilia valde opera que *copulata magistri Laurentii geruasii* dicuntur *super totam summam theologie angelici doctoris* (cuius videlicet doctrine dum viueret emporium dicebatur) reliquit [1].

Huic elogio vix quidquam ex aliis fontibus addere possumus. Ex chartulario Universitatis Parisiensis solummodo docemur, Laurentium Gervasii, sententiarium apostolicum, enumerari inter baccalarios, qui anno 1451 mense Septembri legere inceperunt, eumque anno 1456 licentiatum in theologia obtinuisse, et quidem die 4. Martii uti addunt Quetif-Echard [2]. Hi etiam mortuum eum perhibent anno 1483, quem tamen obitus annum ex hoc videntur assecuti, quod Ludovicus XI, sub quo Laurentius Gervasii dicitur floruisse, anno 1483 e vita discessit.

Pauca ergo admodum nobis constant de Laurentii Gervasii vita et scriptis. Quo anno Coloniam missus fuerit, quid speciatim ibi egerit, quamdiu ibi sit moratus ; item utrum in aliis etiam sui ordinis domibus habitaverit, utrum quoque diu degerit in conventu Divionensi, an potius, uti Quetif-Echard putare videntur, e Germania redux « morbo correptus » quasi casu Divione obierit, haec omnia, inquam, nos latent. Sed ex paucis quae certo constant, puta, quod « doctrinae S. Thomae emporium » dicebatur, quod Coloniae studia theologica reformavit, et quod aetate satis provectus obiit in Burgundia, coniectare possumus, Laurentium Gervasii esse eundem cum « inutili didascalo » qui SO digessit. Num forte humilis S. Dominici discipulus vili hac denominatione repellere voluit denominatio-

1. Johannes de Trittenhem [Trithemius], *De scriptoribus ecclesiasticis. Additis nonnullorum ex recentioribus vitis et nominibus* (Parisiis 1512), fol. 220 a. Idem, ed. Balth. Werlin, O. P. (Coloniae 1546), p. 420. In editionibus maxime usitatis M. Freheri (Francofurti 1601) [cf. p. 408, n. 30], et J. A. Fabricii in *Bibliotheca ecclesiastica* (Hamburgi 1718) [cf. p. 240, n. 30] eaedem habentur Additiones, sed tacita earum origine Gallica. — Excerpta ex anonymi Galli logio, quibus nil novi do emur, praebent C. Gesnerus, *Bibliotheca universalis* (Tiguri 1545), fol. 477a. A. Possevinus, S. I., *Apparatus sacer ad scriptores V. et N. Testamenti*, II (Coloniae 1608), p. 11. C. G. Jöcher, *Allgemeines Gelehrtenlexicon*, II (Leipzig 1750), S. 965. J. A. Fabricius, *Bibliotheca latina mediae et infimae aetatis*, ed. J. D. Mansi, IV (Florentiae 1858), p. 533. H. Hurter, S. I. *Nomenclator literarius theologiae catholicae*, II, ed. 3 (Oeniponte 1906), col. 998.

2. *Chartularium Universitatis Parisiensis*, ed. Denifle-Chatelain, IV (Parisiis 1897), p. 707, n. 2678. Quetif-Echard, I. 865a.

nem honorificam, qua a sodalibus « doctrinae S. Thomae emporium » laudabatur ?

Unum quod ab eo concinnatum scimus opus, inscribitur « Copulata ». Haec denominatio Coloniam olet. « Do hiesz mich die ganz statt das Colnisch Copulat » satira canebant paullo post famosae illae *Epistolae obscurorum virorum*. Et alibi : « Quia omnes Reuchlinistae dicunt quod Colonienses nil sunt quam copulatistae » [1]. Nemo autem nescit, tam Albertistis quam Thomistis Coloniensibus hoc tempore sollemne fuisse, libros quos in Aristotelem praesertim et in Petrum Hispanum grandi numero consarcinaverunt, inscribere « Copulata » [2]. Et licet inter viros illos eruditos vix unus, quod sciam, fuerit ex fratribus Praedicatoribus, videtur tamen Laurentius Gervasii aliquantulum saltem animum intendisse in illas altercationes, rei philosophicae caeteroqui parum proficuas.

1. *Epistolae obscurorum virorum*, ed. E. Böcking, I (Lipsiae 1864), p. 199, 289.

2. Cf. VK. 132-140 (Aristoteles), 445 (Ger. de Harderwyck), 720-731 (Lamb. de Monte), 921-932 (Petrus Hispanus). Alia eiusdem indolis scripta : 447 (Ger. de Monte), 977 (Positiones), 980 (Promptuarium), 1016 (Reparationes), 1135 (Thesaurus), 1212-43 (Versor).

SECTIO IV

De editionibus antiquioribus in Summa opusculorum adhibitis

Sed quisquis Frater Praedicator *Summam opusculorum* digessit, certo probare possumus, eum tres saltem libros, Coloniae typis vulgatos, pro edendis opusculis adhibuisse. Ipsos libros non vidi quidem, sed ex egregiis descriptionibus, quas composuit cl. Voulliéme, satis patet, fratrem Didascalum eos ad manus habuisse.

Prodiit namque Coloniae anno circiter 1472 pretiosum volumen, cui insunt 12 vel 13 S. Thomae opuscula. Tam primum quam ultimum ex illis in SO sine dubio transsumptum fuit. Opusculum enim primum (68: *Epistola exhortatoria*) idem in utraque editione habet additamentum ; et ad calcem opusculi ultimi (43 : *De potentiis anime)* SO contra consuetudinem addit hanc formulam finalem « Explicit feliciter », quam etiam additam invenimus in volumine Coloniensi. Utrum tamen alia opuscula in isto volumine edita in SO transsumpta fuerint, nec affirmare audeo nec negare [1]. Aliud volumen ab SO adhibitum prodiit Coloniae c. a. 1471, eique inest opusculum 71 : *De vitiis et virtutibus*, quod prorsus consonat cum SO [2]. Tertium tandem volumen, Coloniae editum c. a. 1471, et ab SO imitatum, duo habet opuscula, scilicet : *Tractatum de periculis que contingunt circa sacramentum eukaristie et de remedijs eorundem*, quem SO iusto iure transsumere neglexit — est enim con-

1. Cf. infra, ad opuscula 43 et 68. Volumen Coloniense sine inscriptione incipit : *Gloriosus doctor sanctus Thomas vt documenta sumere cupientibus...* (Des. fol. 72b2) *quod voluntati subduntur vt visum est Explicit feliciter* [Coloniae, Joh. Koelhoff (Senior), c. 1472] 2° (VK. 1176 ; Hain *1514). Opuscula hoc ordine sunt posita 68 (Epist. exhortatoria) ; 55 [et 56 ?] (De universalibus) ; 42 (De nat. generis) ; 40 (De modalibus) ; 39 (De fallaciis) ; 31 (De principiis rer. nat.) ; 32 (De nat. materie et dim. interminatis) ; 37 (De oppositionibus) ; 29 (De princ. individuationis) ; 33 (De mixt. elementorum) ; 41 (De nat. accidentis) ; 43 (De potentiis anime). Exemplaria huius rari voluminis exstant Monasterii (Westfalia), in Chicago (Caxton Club) Lipsiae (2 exx.) et haud dubie etiam Monachii. Hain enim asterisco ornavit volumen sub n. *1514 descriptum.

2. Voulliéme 1140 ; Pellechet 990. Appendicula quae est de Suffragiis, quaeque 44 implet lineas, ab SO recte fuit neglecta.

flatum « ex dictis sancti Thome de Aquino » — et opusculum 21 : *De regimine iudeorum*, quod his verbis scribitur :

Incipit tractatus Thome de iudeis ad peticionem comitisse flandrie. Illustri domine etcetera. frater thomas de aquino... (Des.) peritorum sentenciam magis esse tenendam. Et sic est finis [1].

In SO plures quidem lectiones variant. Pro « comitisse flandrie », quod consonat catalogo Tolomei de Lucca, recte fortasse substituitur « duxisse brabancie ». Ad calcem insuper, omissa formula finali « Et sic est finis » — SO tales formulas fere semper resecat — additur : « Valeat dominatio vestra per tempora longiora ». Sed ex aliis lectionibus satis superque patet, editionem Coloniensem ab SO fuisse adhibitam. Allocutio in utraque editione iisdem prorsus scribitur verbis : « Illustri domine *etcetera* », et, quod insolitum valde est, utraque editio in opusculi lemmate legit : « Incipit tractatus Thome » sine ullo apposito. Restat igitur ut ponamus, fratrem Didascalum praeter volumen Coloniense adhibuisse codicem manu scriptum, ex eoque nonnulla mutuatum esse.

Certissime etiam frater Didascalus usus est volumine Ultraiecti (Traiecti ad Rhenum, Utrecht) circa annum 1473 typis vulgato, cui duo insunt opuscula, scilicet 62 : *De divinis moribus*, et 63 : *De beatitudine*. Hunc librum ipse in manibus habui, quem cum SO conferens, utriusque opusculi textum in binis editionibus prorsus repperi consonare, typothetae erroribus haud exclusis. In fine opusculi 62 utraque editio habet : « Ipse solus sit numerus [lege : scit numerum] electorum » ; et in opusculo 63 (Cap. I, principale 1, in fine) utraque legit : « vngenti [lege : vnguenti] pretiosi » [2].

Acuta tamen circumspectione utendum esse in tali negotio, praesertim quando in causam deducuntur libri sine anni nota vulgati, non est quod moneam. Exempla affero opuscula 64, 65, 66, 71, uno volumine sine nomine, loco et anno vulgata [Antverpiae, a Matthia van der Goes]. Etiam haec opuscula verbotenus cum SO consonant, et tamen frater Didascalus hac editione non est usus, sed editio Antverpiensis e contrario prorsus exscripta est

1. VK. 1173 ; BMC. I. 202. Saeculo XV. decies circiter prodierunt bina haec opuscula ; omnes tamen editiones Coloniensi sunt posteriores, et plerumque textum exhibent varium. Cf. HAIN *1375-*1383 ; BMC. III, pag. 822 (Index) ; PELLECHET 984-985 ; W. COPINGER, *Supplement to Hain's Repertorium bibliographicum*, II (London 1897) n. 545-548 ; CAMPBELL 1660 = 1678. *Tractatus de periculis misse* pluries etiam prodiit sine opusculo 21. Editio quam describit HAIN 1384 (Augustae Vindelicorum 1489) non existit. Est ex famosis istis falsimoniis, quas excogitavit Chrysosthomus Hanthaler, O. Cist. (c. a. 1750), bibliothecarius abbatiae Campiliensis (Lilienfeld, in Austria), qui, ut abbatiae laudem afferret et gloriam, plures suo catalogo inseruit editiones ementitas.

2. Prodiit volumen s. n. l. et a. [Ultraiecti, Nic. Ketelaer et Ger. de Leempt, c. 1473] 2° (CAMPBELL 1669 ; HOLTROP, p. 15, n. 38 ; PELLECHET 975).

ex SO. Matthias enim van der Goes volumen excudit typis, quos post annos 1484-85 pretio mercatus est a Iohanne Veldenaer, qui ipsis adhuc annis eos adhibuit Lovanii. Opuscula igitur 64, 65, 66, 71 a Van der Goes non ante annum 1486 fuerunt excusa, ideoque post SO, quae circa annos 1480-85 prodiit [1]. Caeterum familiare erat huic typographo Antverpiensi, opuscula deligere ex editionibus maioribus aliorum, eaque separatim vulgare. Eodem namque ferme tempore quo S. Thomae edidit opuscula, quatuor vulgavit opuscula S. Bonaventurae, delecta ex corpore 21 opusculorum, quod prodierat Coloniae circa annos 1484-85 [2].

Ex eo tamen quod frater Didascalus usus est libris Coloniae vulgatis, minime concludere fas est, *Summam opusculorum* ibidem esse editam aut saltem digestam. Tunc enim frater Didascalus non solum volumen typis excudendum curasset ab uno ex multis typographis Coloniensibus, sed et certo in SO adhibiti fuissent alii quoque libri Coloniae vulgati, puta opusculum 58 : *De SS. Sacramento sermones XXXII*, circa annum 1472 editum, quod habet Prologum aliaque id genus, quae tamen in SO desunt [3]. Vulgatae etiam fuerunt Coloniae (1473-c.1495) septem editiones opusculi 59 : *De sacramento eucharistie ad modum x. predicamentorum*, sed narratiuncula de Christi apparitione ad calcem addita, quae etiam invenitur in SO [4], istuc non transsumpta fuit ex editione aliqua Coloniensi, sed ex codice quodam manu exarato ; quod ex lectionibus variis manifestum est. Opusculum tandem 20 : *De regimine principum* Coloniae bis prodiisse in forma genuina, iam monuimus (pag. 4) ; in SO vulgata fuit forma spuria.

Ex libris typis vulgatis, quibus frater Didascalus usus est, nihil itaque lucis nobis est allatum quoad regionem, in qua SO fuit digesta vel vulgata. Posset quis pro libri origine Gallo-Belgica adducere, quod exemplar opusculi 71 editionis Coloniensis, qua usus est SO, hodie adhuc asservatur in bibliotheca communali Atreba-

---

1. Describitur volumen Antverpiense a CAMPBELL 1665. Separatim circa eundem annum apud eundem typographum prodiere opuscula 64-66 (CAMPBELL 1664), et opusculum 71 (CAMPBELL 1661). De typis quibus usus est Van der Goes cf. J. W. HOLTROP, *Monuments typographiques des Pays-Bas au quinzième siècle* (La Haye 1868), p. 97 et planche 101 (48) d.

2. Cf. *Franziskanische Studien*, VIII (Münster i. W. 1921), S. 160.

3. Prodiit sub inscriptione inusitata : *Incipit modus procedendi in sermones de sacramento venerabilis eukaristie quod composuit sanctus Thomas de aquino ordinis fratrum predicatorum* [Coloniae, Arn. Therhoernen, c. 1472]. 2° (VK. 1143 ; HAIN *1396 ; PELLECHET 1000 ; BMC. I. 205). Post sermones sequitur breve additamentum, quod una cum Prologo et sermonum titulis edidit G. JACOB, *B. Alberti Magni de SS. Sacramento sermones* (Ratisbonae 1893), p. 1-5. Alia plura vide infra ad opusculum 58.

4. De qua plura vide ad opusculum 59. Cf. etiam supra, p. 5.

tensi [1] ; sed iure iustiore pro origine Burgundica commemorari posset, exemplar editionis Ultraiectinae (opuscula 62 et 63) hodie quoque inveniri in Dola [2] civitate, in media Burgundia sita.

Maioris sane esset utilitatis, si assequi nobis liceret codicem aliquem manu exaratum, a fratre Didascalo olim adhibitum. Tale autem investigandi negotium aliis relinquere oportet ; tantisper tamen legentium animos illuc impellemus, colligendo indicia, quibus studiosi fratris Didascali vestigia persequi possint [3].

Posito tamen, quod ex investigationibus eorum, qui meliora circum se habent subsidia litteraria ad fratrum Praedicatorum historiam localem spectantia, manifestum fieret, fratrem Didascalum prorsus esse diversum a Mathurino Espiardi et a Laurentio Gervasii, disputationes nostras tamen hoc effecisse speramus, ut eruditorum animi defigantur in binos hos Ordinis Praedicatorum alumnos Gallicos, in Laurentium Gervasii potissimum, et in labores ab hoc « doctrinae S. Thomae emporio » impensos in reformando studio Coloniensi. Quae enim illa aetate Coloniae grandi numero vulgatae fuerunt S. Thomae opera et opuscula, sine ulla dubitatione maximam partem fuerunt digesta a fratribus Praedicatoribus Coloniensibus, discipulis fortasse Laurentii Gervasii [4].

---

1. Arras, Atrecht, in Gallia Belgica ; cf. PELLECHET 990.

2. DÔLE ; cf. PELLECHET 975.

3. Vide infra, p. 62-65.

4. Opera et opuscula S. Thomae Coloniae annis circiter 1470-1500 typis edita enumerantur a VK. 1136-1176. Cf. etiam VK. 132-140, 211, 447, 921-932, 1135, 1212-1243. De *Tabula* in S. Thomae opera, Coloniae anno 1473 vulgata, cf. Appendix III, n. 5. — In capitulo generali, Novariae 1465 celebrato, approbata est reformatio conventus Coloniensis. Ordinationes datae anno 1473 pro conventu et studentibus Coloniensibus in capitulo Basiliensi, deperditae sunt. Cf. *Monumenta Ord. Praed. historica*, ed. B. REICHERT, VIII (Romae 1900), p. 298, l. 15. *Quellen und Forschungen zur Geschichte des Dominikanerordens in Deutschland*, hrsg. von P. VON LOË und B. REICHERT, VI (Leipzig 1911), S. 46, Anm. 2. Cf. etiam X (1914), S. 107, ubi anno 1499 eaedem ordinationes confirmantur.

SECTIO V

De Prologo auctoris

Summae opusculorum originem atque indolem ex eiusdem Prologo plenius dilucidaturi, accuratam totius voluminis explicationem duximus praemittendam. Ea enim fere omnia, quibus frater Didascalus volumen suum ornavit, quaeque partim (n. 3, 4, 5) ex Petro de Bergomo transsumpsit, in posteriores S. Thomae opusculorum transierunt editiones, et ab auctoribus passim laudantur, nonnunquam immo in controversiam vocantur. Quod praesertim accidit de effato dubio, Innocentio cuidam Papae adscripto (n. 5).

Volumini insunt [1] :

1 (fol.1*b2—2*a1) [Prologus]

Integer exscribitur infra, p. 22-23.

2 (fol.2*a1—b1). Iste est numerus et ordo opusculorum doctoris sancti secundum quod allegantur in hac tabula || et continentur in hac summa.

Exscribuntur opusculorum lemmata 70. Inscriptio usque ad tale || signum verbotenus transsumpta est ex *Tabula* Petri de Bergomo (cf. Appendix III). Primi opusculi lemma, aeque ac apud Petrum de Bergomo, per errorem legit : « ad vrbanum papam quintum » pro « quartum » (cf. infra, ad opusculum 1).

3 (fol.2*b1—b2). Confirmatio et approbatio doctrine sancti thome de aquino ordinis predicatorum.

Est bulla Urbani V, dd. 31 Aug. 1368 (non Urbani VI, dd. 31 Aug. 1379 ; cf. ad opusculum 57) ad archiepiscopum Tolosanum de translatione corporis et approbatione doctrinae S. Thomae. A fratre Didascalo exscripta fuit ex Petri de Bergomo *Tabula*. Typis vulgata exstat apud *Acta Sanctorum*, t. I Martii (ed. 3, Parisiis 1865), p. 731 s. ; apud Petrum de Alva et Astorga, *Funiculi nodi indissolubilis de conceptu mentis et conceptu ventris*, ed. 2 (Bruxellis 1663), p. 271 s. ; in eiusdem operis editione prima, inscripta *Nodus indissolubilis* (etc.) (Bruxellis 1661), p. 287 s., et saepius alibi. Magna vi P. de Alva nititur probare, bullam esse fictitiam.

---

1. Folia 24 priora voluminis a typographo non fuerunt numeri notis ornata. Ne totius voluminis numerorum turbetur series, haec folia 24 a nobis asterisco signantur.

4 (fol.2*b2—3*b1). Epistola vniuersitatis parisiensis in fauorem doctrine sancti doctoris.

Epistola data fuit a Stephano [de Bourret] episcopo Parisiensi « apud bertiliacum [lege : Gentiliacum] anno domini 1325 die iouis ante cineres » (14 Febr.). Transsumpta est ex Petro de Bergomo. Vulgata fuit a C. OUDIN, *Commentarius de scriptoribus ecclesiae antiquis*, III (Lipsiae 1722), col. 369 s. In opere : *Chartularium Universitatis Parisiensis*, ed. Denifle-Chatelain II (Parisiis 1891), n. 838, p. 280-282, et saepius alibi. P. de Alva et Astorga, *Radii solis... pro Immaculatae Conceptionis mysterio* (Lovanii 1666), col. 1723-1727, exhibitis diversis huius epistolae formis, eam autumat studio adulteratam. Idem fere *Funiculi nodi*, p. 415 ss.

5 (fol.3*b1). Innocentius papa in sermone Ecce plus quam salomon hic de sancto doctore thoma de aquino.

Elogium, ex Petro de Bergomo transsumptum, his verbis scribitur : « Huius doctoris sapientia pre ceteris excepta canonica habet proprietatem verborum modum dicendorum veritatem sententiarum : ita vt nunquam qui eum tenuit inueniatur a tramite veritatis deuiasse, et qui eum impugnauit semper fuit de veritate suspectus ».

Verbose simul et taediose P. de Alva conatur ostendere hunc textum, communiter Innocentio VI († 1362) tributum, desumptum, immo confictum esse e sermone quodam Clementis Papae VI (Petri Rogerii † 1352), e cuius elogiis « fabricavit ille incognitus scriptor Ordinis Praedicatorum — Vincentium Bandello hic petit P. de Alva — suam celebrem atque decantatissimam auctoritatem » (*Funiculi nodi*, p. 330 ss. ; cf. p. 346-350. Idem compendiose *Radii solis*, col. 1717-21). Saeculo XV. exeunte etiam Copulatistae Colonienses hoc elogio se oblectati sunt (cf. VK. 150, fol. 1a ; *Funiculi nodi*, p. 339-343). Perhibet caeterum P. de Alva se hoc elogium legisse apud 65 auctores (l. c., p. 332).

De Clementis VI erga S. Thomam veneratione, eiusque de S. Doctore sermonibus cf. P. MANDONNET, O. P. *Des écrits authentiques de S. Thomas d'Aquin*, éd. 2 (Fribourg 1910), p. 72-77. A MICHELITSCH, *Thomasschriften*, I (Graz 1913), S. 40, 156 f., 196. — OUDIN III, 276 s.

6 (fol.4*a1—23*a2). Tabula summe opusculorum doctoris angelici beatissimi thome de aquino.

(Inc.) Abiectos voluit cristus esse suos discipulos folio decimo quarto columna tertia... (Des.) Cetera de cristo vide in dilectione in corpore cristi in deo in eucaristia. — Haec Tabula, a fratre Didascalo accuratissime confecta, integra fuit transsumpta in editiones opusculorum posteriores, quas curavit Ant. Pizzamanus.

7 (fol. ia1—fol. ccccxliiij [lege : 550] a 2) [S. Thomae Opuscula 70]. Opuscula infra (p. 37 ss.) plenius describuntur.

Operis originem atque rationem frater Didascalus exponit in Prologo, quem hic integre exscribimus, additis in legentium commodum numerorum notis.

PROLOGUS

1. Ad gloriam inexplicabilis superbeatissime trinitatis indiuidue intemerateque virginis dei genitricis marie ac totius triumphantis ecclesie exultemus in domino dilectissimi et in sancti thome de aquino doctoris angelici mirabili et inenarrabili gloriosa doctrina predicatorum ordo speciali iocunditate letetur Cum deus omnipotens qui in sanctis suis gloriosus ostenditur non passus est solem obumbrari sub nubilo neque thesaurum sub puluere latitare vt nimirum lucerna tam inclita super candelabrum ecclesie posita ad profectum omnium choruscaret animarum. Siquidem hic doctor noster thomas velut rex magnus fecit cenam magnam profundissimarum scripturarum et vocauit multos ad mensam doctrinarum suarum in qua saciati filij argumentorum variorum resolutione questionum profundissimarum deductione fragmenta pedibus conculcarunt.

2. Sed cum dominus iussit colligere fragmenta ne pereant amore tanti doctoris accensus ego eius inutilis didascalus opuscula eius varia diuersis discipulis veluti catellis distributa atque per orbem dispersa et occultata per partesque frustatim per orbem diuisa disponente non dubito diuina clementia pariter exigente iusticia non sine ingenti labore et fatigatione multis retroactis annis in diuersis mundi climatibus velud apis argumentosa mel colligens e floribus ita ex diuersis liberarijs opuscula beatissimi doctoris prefati colligendo quotquot potui inuenire in vnam redegi summam vt qui lassescente ingenij stomacho panem integrum deglutire non valens ne famelicus pereat saltem fragmentis lenioribus refocilletur.

3. In hijs nempe opusculis sine argumentorum cortice sine verborum multitudine et profunditate adeps doctrine salutaris cribro breuitatis stili cribrata elucescit. in hijs tamquam paruulis non solida esca sed lac et mel prebetur deglutiendum. Et quia funiculus triplex difficile rumpitur. omniaque super tria poni attestatur parapoteticorum princeps aristotiles in vnitateque diuine essentie confitetur ecclesia catholica personarum trinitatem non immerito saluberrima doc [1*b2] trina doctoris thome veluti mare magnum et spaciosum in triplicem se diffundit summam vti in triplex flumen. quarum prima summa contra gentiles. secunda summa theologice veritatis. 3ª summa opusculorum quam pre manibus habemus non immerito nominanda erit. Nec hec mea noua adinuentio cum illud gloriosum ecclesie lumen ordinis predicatorum dominus anthoninus florentine ecclesie archiepiscopus in sua quam composuit cronica In hunc modum de hijs depromit opusculis. scripsit etiam doctor diuersos tractatus et libellos ad instantiam diuersarum personarum que ei mittebant dubia et ipse eis de veritate dabat responsa qui tractatus recollecti in vnius voluminis corpore efficiunt ipsum satis magnum. hec anthonius [!] Pre magnitudine igitur opusculorum in vnam summam redacta summa opusculorum beati thome erit presens liber intitulandus.

4. Protestor tamen me non potuisse hoc exhaurire mare magnum nec omnia fragmenta colligere quia nullibi potui inuenire vt sunt illa

a] que super dyonisio conscripsit opera, et quedam alia scilicet.
b] summam loyce.
c] De quidditate entium qui incipit ad habendum cognitionem. et
d] quemdam tractatum de verbo qui incipit ad intellectum huius nominis.

5. Verum quia ex tabula quam super omnibus doctoris angelici thome operibus compilauit religiosissimus ac venerabilis magister petrus de bargomo ordinis predicatorum conuentus bononiensis colligendi hec opuscula sumpsi originem et noticiam quia inicia opusculorum ponit atque in sua tabula remittit ad opuscula Igitur eius modum obseruans lij. opuscula eo ordine quo ipse in sua de qua mentionem feci allegauit tabula in hac summa sunt posita.

6. Alia autem a liij. et deinceps vsque ad finem asscripta sancti [!] thome inueni in fere omnibus et sine fere codicibus inter que aliqua in veritate a sancto thoma sunt conscripta vt testatur dominus anthoninus in sua cronica et magister petrus de bargomo in sua tabula vt puta

a] de sacramento
b-c] super boecio de trinitate et ebdomadibus
d] de emptione et venditione ad certum terminum

Alia vero sub dubio relinquo nec quod ea sanctus composuit doctor assero sed quia vti premisi doctori sancto com[2*a1]muniter in omnibus codicibus asscribuntur ideo in sequentibus hic annotantur.

7. Insuper pro leuiori et expeditiori inuentione eorum que hic traduntur in summa ordinaui tabulam secundum ordinem alphabeti continentem principaliores materias et conclusiones seu descisiones in summa traditas circa quam auisatos habere volo lectores singulos ne numerum merginalem corrigant sed dimittant intactum quia alias in allegationibus falsificarent tabulam.

Verum quia aliquis numerus aliquando bis aliquando ter repetitur. idcirco circa quemlibet numerum duplicatum a b c apposui Exempli gratia numerus cxij ter ponitur in primo A. in secundo B. in tercio C Similiter numerus clj ter ponitur In primo apponitur A. in secundo B. in tercio C et sic in similibus.

Preterea post allegationem alicuius conclusionis ponitur fo significans folium. deinde numerus foliorum quoto folio. et post sequitur co designans columnam cuiuslibet folij. Et annectitur in fine numerus columnarum an scilicet columna prima ij. tercia seu quarta habeatur.

Ut notabilis hic Prologus pro merito aestimetur, haec addere opus est.

Verba quibus Prologus incipit a fratre Didascalo verbotenus

exscripta sunt ex initio narrationis de Translatione corporis S. Thomae, de qua fusius locuturi sumus infra (p. 32, sub 3). Narratio incipit : « Exultemus in Domino, dilectissimi, et spirituali iucunditate laetemur || quia » (etc.). Ex modo quo auctor noster deinde loquitur de S. Thoma, qui « doctor noster » ab eo vocatur (n. 1), satis patet, « inutilem didascalum » fuisse ordinis Praedicatorum. Testatur etiam se collegisse opuscula « non sine ingenti labore et fatigatione multis retroactis annis in diuersis mundi climatibus... ex diuersis liberarijs [bibliothecis] » (n. 2) ; e quibus iure intelligitur, fratrem Didascalum in diversis commoratum fuisse terris, atque aetatem habuisse grandiorem, dum annis circiter 1480-1485 Summam opusculorum typis curabat excudendam.

Exponens deinde (n. 3), quare liber vocatur « Summa opusculorum », auctoritatem repetit a S. Antonino dicente, Sancti Thomae opuscula efficere volumen satis magnum. Observes, velim, tantisper, S. Antoninum pro more suo exscribere Bernardum Guidonis, et Bernardum vicissim imitatum fuisse Tolomeum de Lucca, qui anno circiter 1315 de isto « volumine » sermonem fecit primus [1]. Simul quoque Didascalus noster fatetur (n. 4). quod nonnulla opuscula nullibi potuit invenire, puta :

a] *Super Dionysio* [intellige Commentaria (genuina) in librum *De divinis nominibus*, et (spuria ?) in librum *De celesti hierarchia* [2], quae Petrus de Bergomo inter S. Thomae opera enumerat].

b] *Summam logicae* [quae non est S. Thomae. Cf. infra ad opusculum 48].

c] *De quidditate entium*, qui incipit : « Ad habendum cognitionem ». [Est lemma opusculi 30 : *De ente et essentia* (seu *De quidditate entium*), cui per errorem subnectitur initium opusculi 38 : *De demonstratione*. Hic error, qui, ut ex Prologo (n. 4) patet, perturbavit Didascalum nostrum, primo invenitur apud S. Antoninum. De quo fusius p. 34].

d] *De verbo*, qui incipit : « Ad intellectum huius nominis » [Infra probabimus, ad opusculum 13, fratrem Didascalum ipsissimum opusculum, initio tamen varium, penes se habuisse, et in SO edidisse].

Laudat etiam Didascalus noster opus omni praedicatione extol-

1. Optime de isto « volumine », in quo S. Thomae opuscula antiquitus videntur fuisse collecta, disserunt Mandonnet 34-37, et praesertim M. Grabmann, *Die echten Schriften des hl. Thomas von Aquin (Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, XXII. 1/2, Münster i. W. 1920), S. 57 f., 62, 105 f. — Auctores veteres de volumine agunt in suis catalogis operum S. Thomae. De Bernardi Guidonis catalogo, cf. MANDONNET, 69 ; MICHELITSCH I. 152. De Tolomei de Lucca, MAND. 61, n. 25 ; MICH. 129. De S. Antonini catalogo MANDONNET (p. 83) loquitur tantum in generali, et MICHELITSCH ipsa verba, quae a Didascalo ex S. Antonino laudantur, omittit (p. 161, post. n. 43). Sunt tamen eadem ac Bernardi Guidonis verba (MICH., p. 152, l. 6-10), exceptis levibus quibusdam verborum discrepantiis.

2. Haec commentaria spuria vel deperdita memorantur etiam a quibusdam catalogis antiquis. Cf. MICHELITSCH I, p. 188, n. 106.

lendum Petri de Bergomo : *Tabula super omnia opera diuini doctoris Thome aquinatis*, quod praecipua colit veneratione. Ab hac Tabula enim « colligendi hec opuscula sumpsi[t] originem et noticiam » (n. 5). Ex quo patet, Didascalum nostrum non ante annum 1473, quo Petri de Bergomo opus primo prodiit [1], de colligendis S. Thomae opusculis cogitasse. Erat autem Didascalo mens, vehementer sane collaudanda, subministrandi complementum omnino necessarium ad Petri de Bergomo Tabulam. Hic enim ad commodiorem sui operis usum initio Tabulae praeposuerat lemmata opusculorum numero 52, quae ipsi videbantur genuina. Numeris notis ab 1 usque ad 52 illa ornaverat, addito insuper cuiusque opusculi initio. Sic legentibus secura erat via. Quando enim, exempli gratia, Petrus de Bergomo eos in voce « Religio » remittebat ad : « op. 19, co. 4 », ex opusculorum serie manifestum fiebat, opusculum 19 inscribi : *Contra impugnantes dei cultum*, in cuius capitulo 4° erat quaerendum. Et ne quis in opusculo eligendo erraret, si in codice quopiam fortasse exstaret anonymum, vel inscriptione varia ornaretur, additum fuit initium : « Ecce inimici tui sonuerunt ».

Ast licet secura valde haec esset via, nemo tamen non videt eam ambagibus fuisse plena. Pretiosa insuper Tabula nullius fere erat utilitatis illis studiosis, qui S. Thomae opera, ad quae remittebantur, penes se non habebant. Maiora S. Doctoris opera in sat multis quidem praesto habebantur bibliothecis ; eius tamen opuscula vix ullibi grandi numero, et certe nullibi integra serie ad manus erant. His autem incommodis radicitus mederi intendit Didascalus noster, vulgando omnia opuscula quae Petrus de Bergomo suae Tabulae intexerat. Et haec ipsa est causa, cur tam diligenti cura servat opusculorum ordinem et numerum, a Petro de Bergomo constitutos, non excepto casu, quo aliquod opusculum minime potuit invenire [2].

Post collecta opuscula 52, a Petro de Bergomo enumerata, Didascalus noster addidit tractatus 18, quos « in fere omnibus et sine fere codicibus » invenerat S. Thomae attributos (n. 6). Probe tamen monet, se quattuor tantum ex his opusculis (58, 67, 69, 70) certo S. Thomae adscribere, quum enumerentur a Petro de Bergomo et S. Antonino, prudenter quoque addens : « Alia vero sub dubio relinquo nec quod ea composuit sanctus doctor assero ». Utitur

1. Bononiae, ex officina Baldaseris Azzoguidi, die 11ª Martii, anno 1473 (HAIN *2816 ; PELLECHET 2072). De huius operis editionibus cf. Appendix III. — Ex iis quae Didascalus dicit de Petri de Bergomo *Tabula* iam deduximus, SO fuisse vulgatam circa annum 1485 (cf. supra, p. 7).

2. Cf. infra, ad opuscula 46, 48, 52 ; vide etiam ad 13 et 17.

igitur Didascalus noster iudicio censorio satis severo. Quod opusculum aliquod S. Thomae tribuitur in codicibus, etiamsi « communiter in omnibus », non sufficere ei videtur, ut pro genuino possit haberi. Opus est ut testimonium accedat externum.

Animadvertas tamen, opusculum 67 : *De emptione et venditione*, nec a S. Antonino, nec a Petro de Bergomo enumerari, immo a nullo antiquorum catalogo. Didascalus noster illud invenit et vulgavit primus, idque postquam SO magnam partem iam fuerat typis excusa. Ad calcem namque opusculi 52 (fol.354b2) eadem fere iam scripserat de opusculis a se additis, ac hic in Prologo ; sed de opusculo 67 nullam ibi fecerat mentionem. Ex quo patet illud a fratre Didascalo postea fuisse inventum.

De alio opusculo a se addito, quod aestimat genuinum, puta *De sacramento*, infra tractabitur, ad opuscula 57 et 58, ubi mirantes videbimus, Didascalum nostrum Officium de festo Corporis Christi verosimiliter habuisse spurium, eiusque loco callide subiecisse aliud de SS. Sacramento opusculum.

Monentur tandem legentes (n. 7) ne foliorum numeros immutent « quia alias in allegationibus falsificarent tabulam ». Dum nempe SO prelo sudabatur, duobus in locis graviter erratum est, puta in opusculo 13 : *De differentia verbi divini et humani*, quod Didascalus omittere voluit [1], et in fine opusculi 17 vel initio opusculi 18, ubi Didascalus noster aut typotheta errorem sine dubio commisit. Utroque namque loco foliis iam absolutis substituta fuerunt nova eaque plura folia. Ne autem ex foliorum augmento numerorum series turbaretur, numeri cxij, cxlvij et clj ternis vicibus fuerunt adhibiti, et litteris A,B,C, typo quidem excusis plumbeo, manu tamen chartae admoto, ab invicem distincti. Simili modo immutatae fuerunt litterae, quibus chartarum fasciculi signantur. Fasciculis o^8 et f^8 destructis substituti fuerunt fasciculi qui signantur o^6 O^4 (fol.105-112C), et f^6 S^6 (fol.145-152).

Manifestum igitur est ex Prologo universe spectato, fratrem Didascalum volumen compegisse maxima qua potuit cura, èt quod ad faciem attinet externam, èt quoad opuscula ab illo conquisita. Nimiam quidem fiduciam habens in Petri de Bergomo auctoritate, opuscula ab eo enumerata genuina aestimabat omnia, dum tamen ex his fere decem, opuscula inquam 43-52, ab eruditis putantur spuria. In colligendis autem aliis opusculis 18 Didascalus noster haud diversa usus est ratione ac S. Antoninus in describendis rebus historicis, qui « non tam dedit operam, ut res veras certasque de-

1. Cf. quae explicabimus ad opusculum 13.

scriberet, quam ne nihil omnino praeteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur » [1].

Re vera igitur Didascalus noster, vulgando « quotquot potuit invenire » opuscula, id effecit, ut inde a saeculo XV. exeunte usque ad aetatem nostram haud pauca circumferantur S. Thomae opuscula spuria. Sed detrimentum abunde compensatur opusculis numero maiori genuinis, quae ipse typis vulgando faciles accessu fecit primus. Adverte praeterea, iterato eum ac disertis verbis monuisse legentes, ut non omnia opuscula ab eo addita aestimarent genuina [2].

---

1. Melchior Cano, *De locis theologicis*, l. XI, c. 6 versus finem (ed. Lovanii 1564, p. 658 s.).

2. Ex opusculis 73, seu potius 72 (op. 46 idem est ac 32) genuina sunt saltem 44, nempe : 1-8, 10-19, 20 (partim), 21-27, 29-42, 57, 67, 69-70. Dubia habentur : 9, 28, 68. Spuria aestimantur 43-45, 47-56, 58-66, 71-72. Ex his spuriis nonnulla excerpta sunt ex. S. Thomae operibus genuinis, sc. 43, 44, 49, 51, 52, 54, 55/56, 60. (cf. MANDONNET, p. 147-156). Alia tandem praeclaros habent auctores, puta : THOMAM ANGLICUM (45), HERVAEUM NATALEM ? (48), B. ALBERTUM MAGNUM (58), MATTHEUM DE CRACOVIA (64), RICHARDUM PRAEMONSTRATENSEM (66), THOMAM DE SUTTON (72), AEGIDIUM DE LESSINIA (73).

ADDENDUM. — Nuperrime Fr. PELSTER, S. J. de genuinitate nonnullorum opusculorum nova quaedam partimque insolita effatus est.

In folio *Gregorianum* IV (1923), p. 72-105 nititur probare, opusculum 72 : *De concordantiis in seipsum*, esse ipsius S. Thomae. Cui optime tamen resistit M. GRABMANN, *Hilfsmittel des Thomasstudiums aus alter Zeit. Abbreviationes, Concordantiae, Tabulae* (Sonderabdruck aus *Divus Thomas*, III. Serie I, Freiburg (Schweiz) 1923), Nachtrag (S. 63-66).

Alibi quoque PELSTER probat, opusculum 28 : *De fato*, non esse S. Thomae, sed B. Alberti Magni (*Philosophisches Jahrbuch*, XXXVI, Fulda 1923, S. 150-154 ; cf. S. 39, 40).

Suspicatur etiam genuina S. Thomae esse opuscula : Op. 43 : *De potentiis animae* (S. 42-45). — Op. 44 : *De tempore* (S. 45). — Op. 52 : *De natura loci* (S. 45). — Op. 53 : *De intellectu et intelligibili* (S. 42).

SECTIO VI

De editionibus recentioribus

Restat autem exponere, qua ratione *Summa opusculorum*, a fratre Didascalo anno circiter 1485 edita, facta est vulgati opusculorum textus princeps, sicut in huius elucubrationis inscriptione edicitur.

Editoribus Romanis, qui anno 1571 vulgarunt Doctoris Angelici opuscula 73, penitus ignota erat SO. Aliam tamen penes se habebant editionem, quam vulgaverat Antonius Pizamanus (Pizzamano), patricius Venetus. De quo nonnulla opus est disserere.

Pizzamanus natus Venetiis circa annum 1462, in universitate Patavina magistros habuit Ludovicum Ferrariensem et Franciscum Nardum (Securum, de Neritono), fratres Praedicatores. Eius condiscipuli fuerunt Dominicus Grimani, Thomas de Vio, O. P., Hieronymus Monopolitanus, O.P., aliique viri doctrina praestantes. Amici ei erant et alii ordinis S. Dominici sodales, puta Benedictus de Soncino, Henricus Institor, et quem iam memoravimus Hieron. Monopolitanus. Hi tres opera a se edita Pizzamano dedicaverunt [1]. Ab Alexandro VI nominatus protonotarius apostolicus, Dominico Card. Grimani protectore pingue obtinuit beneficium (1497), et factus est episcopus Feltrensis (1504) [2]. Post patriarchatum Venetiarum frustra petitum (1508), obiit et sepultus est Venetiis anno 1512. Ad cuius sepulchrum facta narrantur « gran miracoli » [3].

Inter scripta a Pizzamano edita Degli Agostini refert, quod « raccolse non senza grave fatica tutti i suoi [S. Thomae] Oposcoli appar-

---

1. Cf. HAIN *6997 (Bened. de Soncino). — HAIN 9237 = D. REICHLING, *Appendices ad Hainii-Copingeri Repertorium bibliographicum*, II, Monachii 1906, p. 197 (Henr. Institor). — HAIN *1490 = 8532 (Hieronymus Monopolitanus, de quo cf. ad opusculum 48, et QUETIF-ECHARD I. 857a).

2. Cf. G. VAN GULIK-C. EUBEL, *Hierarchia catholica medii aevi*, III (Monasterii 1910), p. 211.

3. De Pizzamani vita scriptisque refert GIOVANNI DEGLI AGOSTINI, O. F. M., *Notizie istorico-critiche intorno la vita, e le opere degli scrittori Viniziani*, II (Venezia 1754), p. 189-200 (Excerpta ex hoc opere accepta refero R. P. Willibrordo Lampen ad Claras Aquas [Quaracchi]). De Pizzamani scriptis cf. etiam POSSEVINUS, *Apparatus sacer*, I (Coloniae 1608), p. 101.

tenenti alla Filosofia, alla Teologia specolativa, ed anche al dogma[1] » Mihi quidem e contrario iudicandum videtur, quod illa « grave fatica », quam passus est Pizzamanus noster, in eo praecipue consistebat, ut, humanistarum inferioris subsellii vestigia secutus, Didascali opus grave meditatumque incredibili vitiavit levitate. Et, quod risum fere movet, quae addidit plerumque sunt falsa ; quae habet bona ab aliis furatus est.

Hic illic additamenta ab SO adscripta, quae parum habent valoris, resecat. Esto. Sed nefas grande est, quod Didascali Prologum, quo operis origo, indoles atque natura belle illustratur, omittit stolidus. Post opusculum 52 servat quidem Didascali annotationem, quae mutata dictione recurrit in Prologo (n. 6), de nonnullorum opusculorum genuinitate certa vel dubia ; sed in secunda sua editione Pizzamanus etiam hanc annotationem audacter resecat, adducens legentes ut credant, quod ea quae ipse in proprio Prologo effatur de opusculorum genuinitate, propria assecutus sit industria. In brevicula observatione opusculo 54 subnexa fratris Didascali laborem e longinquo perstringit, non tamen ut Summam opusculorum gratus laudet, sed ut ingratus conqueratur de « vitio impressorum qui illud in alemania [sic !] impresserunt ». Opusculo 57 praemittit adnotationem historicam, erronee perhibens S. Thomae corpus translatum fuisse Tolosam sub Urbano V « anno domini 1379 » ; quem errorem et alibi repetit (cf. ad opusculum 57). Imperite ex opusculo 58 nonnulla expungit, non intelligens, figuram quam Didascalus opusculo praeposuerat, quamque imprudenter omisit, arborem fuisse fructuum SS. Eucharistiae. Ad opusculi 59 calcem narratiuncula de Christi apparitione, quam Didascalus, ut piam servaret traditionem, e codice a se invento exscripserat, a Pizzamano resecatur temere, licet opusculi lemma, quod integrum ab eo servatur, ab eadem narratiuncula sit mutuatum. Rerum indicem in opuscula, a fratre Didascalo diligenter confectum, verbotenus exscribit, mutatis, ut res monet, locis quos index laudat. Sed et hic labor Pizzamanum deterret ; plures locos a Didascalo laboriose indicatos negligit. In secunda opusculorum editione gloriatur de duobus opusculis, puta 48 et 73, a se noviter editis, callide tacens, quod opusculum 48 ante duos annos ab alio fuit editum, ipsique

1. Degli Agostini, II. 193. — Possevinus (I. 101) et ex eo Degli Agostini (II. 200) inter Pizzamani opera etiam recensent : *De intellectu et intelligibili*, et *De dimensionibus interminatis*. Haec tamen sunt opuscula 53 et 32 (46) S. Thomae. In serie opusculorum quindecim S. Thomae, quae Pizzamanus putat dubia, quaeque enumerat ad calcem suae Dedicationis (cf. p. 32, sub 5), haec duo opuscula initio ponuntur. Videtur Possevinus vel eius testis putasse, illa opuscula quindecim esse Pizzamani, et errore detecto, ab enumeratione destitisse, oblitus tamen delere opuscula duo, quorum lemmata iam exscripserat.

Pizzamano dedicatum ; et neutrum opusculum, immo nec ipsos legentes, tanti aestimat, ut, quae in iis opusculis occurrunt res praecipuas in indicem prioris editionis inserat. Quod autem maxime nefas est : gravi rei litterariae detrimento connexionem cum codicibus manu scriptis, quae in Didascali labore saepius deprehendi potest, levis ille humanista omnino dissolvit, mutatis praesertim opusculorum lemmatibus, quae Didascalus varia ex variis codicibus exscripserat, sed quibus Pizzamanus substituit formulas uniformes, inanimes, exsangues. Ut uno verbo eius laborem describam : Accessit politio, recessit traditio ; vel, si mavis : Accessit arrogantia, recessit sapientia.

Consulto dixi, Pizzamanum quae habet bona ab « aliis » esse furatum. Nam praeter fratris Didascali librum etiam alterius fratris Praedicatoris exspoliavit opus, Pauli inquam Barbi Soncinatis. Hic anno 1488 Mediolani edidit S. Thomae opuscula 51 [1], qui tamen labor opere fratris Didascali est longe inferior. Non solum Paulus Soncinas vix ullam habuit rationem praeclarissimae *Tabulae* Petri de Bergomo, eius olim, inquam, magistri [2], sed et neglegenter valde omisit librum suum ornare cuiuscumque generis indice vel tabula. In sua quoque verbosa dedicatione ad Ascanium Mariam card. Sphortiam (fol.2a1-4a2) nullum omnino verbum facit de operis ratione vel origine.

Opuscula autem hoc ordine edidit [3] :

20*	2*	15*	25*	9*	28	35	44	50
1*	4*	16*	26*	10*	29	36	45	51
3	5	21*	27*	11	30	37*	43	52
7	5	22*	19*	12*	31*	40*	32	
8	70*	23*	17*	13*	33	41	47	
6*	69	24*	18*	14	34	42	49	

1. *Opuscula preclarissima D. Thome Aquinatis*, castigata per fratrem Paulum Soncinatem, O. P. Mediolani, Benignus et Iohannes fratres de Honate, anno Mccclxxxviij [lege, ut alibi recte : 1488]. 2° (Pellechet 1092 ; Hain 1540 ; Copinger I. 1540 ; III, p. 241). Habet liber 314 (non 313, nec 318) folia, et 51 (non 49) ei insunt opuscula, quorum numeri notae ascendunt quidem ab 1 usque ad 49, sed post opusculum 20 inseruntur duo, quae nota carent. Exemplaria asservantur Parisiis (2), Niciae, Lugduni, Londini, Neo-Eboraci, Philadelphiae, Washingtonii et Baltimorae. — Nec P. de Alva et Astorga, nec Quetif-Echard, nec de Rubeis (Diss. XVII, c. 1, § 3) hunc librum viderunt. Quetif-Echard (I. 342b) librum aiunt vulgatum opera « Bergii et Xantonii fratrum », quam cacographiam exscripserunt ex P. de Alva (*Funiculi nodi*, p. 31), qui legit : « per Bergium et Xantonium fratres » !

2. Quetif-Echard, I. 88oa. De Paulo Barbo Soncinate fusius loquitur J. A. Saxius, *Historia literario-typographica Mediolanensis* (edita in Ph. Argelati *Bibliotheca scriptorum Mediolanensium*, I, Mediolani 1745), p. CCLXXXVII-IX.

3. Eadem sunt opuscula ac quae enumeravit Petrus de Bergomo, exceptis opusculis 38 et 39 : *De demonstratione* et *De fallaciis*, quae Soncinati sine dubio fuerunt incomperta. Opusculum 5 bis ponitur, quia a Soncinate dividitur in duo. Opusculum 20 : *De regimine principum* primo loco ponitur in gratiam Cardinalis Sforzae, uti in dedicatione adulatoria taediose exponitur. Cf. Cod. MW. (infra, p. 81).

Ipsum librum non vidi, et praeter Dedicationem, quam integram olim edidit Saxius [1], de opusculis tantummodo 24, asterisco dudum notatis, indicia nonnulla possideo, quae meo rogatu humanissime hinc inde excerpsit cl. H. Lebègue Parisiensis. Ex his autem, paucis licet et mancis, in aperto est, Pizzamanum nostrum, ubicumque a Didascali textu variat, plenis hausisse manibus ex Paulo Soncinate.

Quam serviliter autem Pizzamanus secutus sit fratrem Didascalum et Paulum Soncinatem, infra manifestum fiet ex iis, quae ad singula opuscula dicturi sumus. Quum tamen ex Soncinatis labore pauca nobis praesto sint indicia, minutatim hic ostendemus anticipantes, quam vehementer Soncinati obnoxius est Pizzamanus. Ubi Soncinas aliquod opusculum vocat deuotissimum (6), insigne (15), diuinum (18) ; ubi S. Thomam laudat clarissimum (27), eiusque Quaestiones in Boethium affirmat esse praeclaras (70), Pizzamanus iisdem omnino utitur vocibus. Opusculum 19, quod est contra Guilielmum de Sancto Amore, a Soncinate, religioso mendicante, haud absque consilio praedicatur « religiosorum omnium sed permaxime mendicantium propugnaculum turrisque validissima ». Eadem devote repetit Pizzamanus. Ubi Soncinas archidiacono Tridentino seu Tudertino (23) substituit « Cudestinum » ; ubi fratrem Reginaldum de Piperno, cuius nomen alibi recte scripserat, vocat « Ragenaldum » (15), Pizzamanus utramque imitatus est cacographiam, posteriorem immo depravans « Ragynaldum ».

Pizzamanus opuscula S. Thomae ter edidit. Prima editio vulgata fuit Venetiis ab Hermanno Liechtenstein, anno M.cccc.xc.vij. Idus septembris, id est : die 7ª Septembris anno 1490, non vero die 13ª Sept. 1497, sicut alii intellexerunt [2]. Quae primae editioni insunt hic minutatim enumerantur, quibus addidi ad dexteram cuiusque lineae, qua nova pars indicatur, foliorum numeros editionis secundae (Venetiis 1498) mox laudandae.

1 (fol.1b1-b2). Tabula omnium opusculorum. [fol.1b1-b2]
Sunt lemmata 72 (in ed. anni 1498 lemmata 73).

2 (fol.2a1-8b2). Legenda S. Thomae a Pizzamano confla-[fol.2a1-7a2]
ta. Praecedit ad Aug. Barbadicum praefatio. Sequitur bulla canonizationis S. Thomae.

Pizzamani labor « ist kritisch ohne Wert », ut recte ait F. PELSTER (*Zeitschrift für katholische Theologie*, XLIV, Innsbruck 1920, S. 250, Anm. 7). Memoratur legenda in *Bibliotheca hagiographica latina*, ed. Socii Bollandiani (Bruxellis 1900-01), n. 8160.

---

1. *Historia literario-typographica*, p. CCCCLXXXIX-XCIV.

2. Folia habet 436, in-4°. Describitur a PELLECHET 1093 ; HAIN *1541. Exemplaria exstant satis multa.

3 (fol.8b2-11b1). Officium et Missa in festo S.Thomae.[fol.7b1-9b2] Officium in eiusdem Translatione.

Lectiones officii de festo sunt Legenda S. Thomae ad usum chori, extracta ex Vita S. Thomae auctore Bernardo Guidonis (PELSTER 250 f. An forte eadem ac ea, quae memoratur in *Bibliotheca hag. lat.*, n. 8155 ad calcem ?).

Lectiones officii de Translatione sunt Historia Translationis, quae exstat in *Act. Sanctorum*, t. I Martii (ed. 3, Parisiis 1865), p. 737 s. *(Bibliotheca hag.lat.*, n. 8164), paucis hinc inde rescissis.Errat Pizzamanus in designandis translationis annis. Depositionem in conventu Fundensi, quae facta fuit Idibus Februarii anno 1367, pontificatus Urbani V anno sexto, locum habuisse autumat anno 1377, Urbani V anno pontificatus septimo (lect. 5ª) ; et translationem ad Tolosam civitatem, anno 1368, Urbani V pontificatus anno septimo factam, remittit ad annum 1379, pontificatus annum septimum (lect. 9ª). Hi errores a pluribus postea transsumpti fuerunt, uti fusius explicabitur infra, ad opusculum 57.

4 (fol.11b1-12a2). Epistola Urbani V. Epistola univer-[fol.9b2-10a2] sitatis Parisiensis. Elogium Innocentii Papae.

Verbotenus sunt exscripta ex SO. Cf. supra, p. 20-21.

5 (fol.12b1-b2). Praefatio ad Nic. Francum, ep. Tarvi-[fol.10b1-b2] sinum.

Pizzamanus in fine enumerat opuscula quae ei videntur dubia ; de quibus mox. Obiter observa, opuscula duo priora (op. 53 et 46) per errorem a Possevino aliisque enumerari inter ipsius Pizzamani opuscula (cf. p. 1, n. 29).

6 (fol.13a1-423a2). S. Thomae [In ed. 2ª opuscula 73. — fol.9a1-332b1] opuscula 72 (71).

Eadem sunt opuscula ac in SO, eodemque disposita sunt ordine. *Tractatus de universalibus* (op. 55) dividitur tamen in duos (op. 55 et 56), et additum fuit *Officium de festo Corporis Christi* (op. 58).

7 (fol. 423b1-435b2). Tabula. [fol. 332b1-341a]

Est Index rerum omnium notabilium, verbotenus exscriptus ex SO, mutato solum allegandi modo. Tabulam exinde haud profecisse patet ex exemplo fortuito quaesito. In voce « Lacedemones » SO remittit ad opusculum *De regimine principum*, l. IV, cap. 14, 16, 19. Pizzamanus solum memorat cap. 19.

Pizzamanus in fine suae Dedicationis ad Nic. Francum enumerat opuscula quae aestimat dubia, hoc ordine : 53, 46, 55/56, 58-66, 71, 72, 48, temere affirmans de aliis opusculis : « Cetera autem diuum thomam excudisse compertum est ».

Quare Pizzamanus inter dubia enumerat opusculum 46 : *De dimensionibus interminatis*, me fugit, quum omnino idem sit, uti iam notavit Didascalus, cum opusculo 32, quod Pizzamanus aestimat genuinum. Nec intelligo, quare *Summam logice* (op. 48) inter dubia ponat, quum eam usque ad illud tempus, id est anno 1490, nondum viderit. Quoad alia opuscula advertendum est, iam fratrem Didas-

calum disertis verbis eadem ipsa proclamasse dubia [1]. Omittens imo Pizzamanus inter dubia opusculum 68 : *Epistolam de modo studendi*, sicque a Didascali iudicio discedens, temere potius quam ratione iudicasse aestimandus est, quum ne hodie quidem de Epistolae genuinitate constet.

Hoc uno, sed et hoc solo fortasse Pizzamanus antecellit fratri Didascalo, quod opusculum 58 : *Sermones XXXII de Eucharistia*, diserte ponit inter dubia. Quid frater Didascalus de huius opusculi genuinitate sentiat, incertum est, quod diffuse exposituri sumus ad opuscula 57 et 58. Adverte demum in diiudicanda opusculorum genuinitate Pizzamanum eodem modo errare ac Didascalum nostrum, nimiam fidem tribuendo Petro de Bergomo.

Octo post annos Pizzamanus alteram vulgavit editionem hac inscriptione : *Opuscula sancti Thome : quibus alias impressis nuper hec addidimus. videlicet. Summam totius logice. Tractatum de vsuris nusquam alias impressum.* Prodiit opus Venetiis, mandato et expensis Octaviani Scoti, cura et ingenio Boneti Locatelli, ii° kal. Ianuarias. i498 [22Dec.1498(1497?)][2]. Insunt huic libro eadem ac editioni priori, additis tamen :

a] (fol.203a1-224b2). Diui Thome Aquinatis ordinis predicatorum totius Logice Aristotelis Summa [Hunc tractatum prolixum antea iam bis ab aliis fuisse editum, dicemus infra ad opusculum 48].
b] (fol.323a1-332b1). De vsuris in communi et de vsurarum contractibus [Cf. ad opusculum 73].
c] (fol.341b). Tabula de vsuris [Praebet tantummodo capitulorum lemmata opusculi 73 noviter additi].

Prodiit etiam Venetiis anno 1508 tertia Pizzamani editio, quam tamen non vidi. Ex iis quae de ea refert De Rubeis in aperto est, eam esse apographum editionis anno 1498 vulgatae [3].

Integro fere saeculo post fratrem Didascalum prodiit tandem Romae (1570-1571) sollemnis illa omnium S. Thomae operum editio,

1. Cf. Prologus, n. 6, et ad opusculum 52.

2. E. Voulliéme, *Die Inkunabeln der Königlichen Bibliothek und der anderen Berliner Sammlungen* (Leipzig 1906), n. 4201, librum putat editum anno 1497. Typographi tamen huius aevi in assignando, inde a die 14 Decembris, annorum numero, apponere consueverunt annum vertentem, non annum insequentem. Cf. R. Proctor, *An index to the early printed books in the British Museum*, Part II (1501-1520). Section I, Germany (London 1903), p. 9-10. — Habet volumen folia 342, in-2°. Describitur a Pellechet 1094 ; Hain *1542. Exemplaria exstant satis multa.

3. Libri inscriptio eadem prorsus est ac editionis secundae. Prodiit Venetiis, mandato et expensis Petri Liechtenstein Coloniensis Germani, cura et ingenio Iacobi Pencio de Leuco, anno 1508, die 15ª Ianuarii. Cf. Io. F. B. de Rubeis, *De gestis et scriptis ac doctrina S. Thomae* (Venetiis 1750), denuo ed. in *S. Thomae opera omnia, iussu impensaque Leonis XIII. P. M.*, I (Romae 1882), Diss. XVII, cap.1, §3(p.CCXXIV).

gratiis privilegiisque Pii V Pont. Max. excusa, quae Romana (Piana, Vaticana) vocatur. Sancti Doctoris opuscula replent tomum XVII, qui tum una cum aliis tomis, tum etiam separatim, saepius postea fuit typis iteratus [1]. Putant nonnulli, editores Romanos in vulgandis opusculis adhibuisse codices manuscriptos, illosve severo negotio de opusculorum textu, numero, genuinitate, aliisve eiusmodi deliberasse [2]. Minime. Opuscula omnia a primo ad ultimum ex Pizzamano typis exscribi fecerunt, adhibitis forte, sed raro certe, aliis adminiculis nullius ceteroqui valoris. In decernenda autem opusculorum genuinitate arbitria apud eos egit unus S. Antoninus. Ipsis enim affirmantibus distinguebant « legitima a nothis, et germana ab apocryphis... secundum Diui Anthonini archiepiscopi Florentini diuisionem et censuram » [3]. Spuria igitur putabant, ideoque typis minoribus excudi fecerunt, opuscula 9, 32, 38, 41-56, 59-68, 71-73, hoc uno a S. Antonino discrepantes, quod opusculum spurium 58 : *De venerabili Sacramento sermones XXXII*, in S. Antonini catalogo deficiens, genuinum habebant, typisque excudebant maioribus.

Quum autem S. Antonini auctoritas multum valeret apud fratrem Didascalum, et plus adhuc apud Editores Romanos, quumque S. Antoninus, uti iam monuimus, quasi verbotenus exscripserit catalogum Bernardi Guidonis, de utriusque labore visum est pauca inserere.

Mirum est, in S. Antonini catalogo deesse duo opuscula, quae enumerantur a Bernardo Guidonis, sc. 32 : *De natura materie*, et 38 : *De demonstratione*. Et aeque mirum est, apud B. Guidonis, et consequenter apud S. Antoninum, deesse alia duo opuscula, sc. 41 : *De natura accidentis*, et 42 : *De natura generis*, licet inveniantur in catalogo Tolomei de Lucca, quem vicissim exscripsit Bernardus Guidonis.

Porro haec quatuor opuscula ex antiquis catalogis non consulto fuisse omissa, sed casu excidisse, probabile, ne dicam, manifestum est.

---

1. Venetiis 1593-94 (voll. 17) ; Antverpiae 1612 (voll. 18). Separatim prodierunt opuscula Venetiis 1587 et 1596 ; Parisiis 1634 et forte alias. Editiones omnium opusculorum vulgatas Parisiis 1656, 1660 etc., item editiones omnium operum Venetam (1745-88), Parmensem (1852-72) et Parisiensem (1871-82) hic non curo, quia non sunt apographa editionis Romanae, licet eam, maxime quoad opuscula, fere semper imitentur. Cf. de variis editionibus QUETIF-ECHARD I. 342b ; OUDIN III. 296 ss. ; MICHELITSCH I. 241-245 ; J. C. BRUNET, *Manuel du libraire et de l'amateur de livres*, 5e éd., V (Paris 1864), col. 842).

2. De editione Romana cf. MANDONNET 12, 116, 123 ; GRABMANN 18.

3. Cf. breve monitum « Ad lectorem », quod in editione Opusculorum, quae prodiit Antverpiae 1612, perperam relegatum fuit ad calcem opusculi spurii *De eruditione principum*, post opusculum 40 a Romanis primo inserti.

Quoad opusculum 38 : *De demonstratione* abunde id patet, si verba Bernardi Guidonis conferas cum verbis S. Antonini. Scripserat B. Guidonis :

Tractatus de quidditate entium seu de ente et essentia ad fratres et socios qui incipit || Quoniam paruus error in principio. Tractatus de demonstratione qui incipit || Ad habendum cognitionem [1].

Haec autem transscribens S. Antoninus in errorem abductus per homoeoteleuton « qui incipit », omisit verba inter || || posita, ideoque scripsit :

Tractatus de quidditate entium seu de ente et essentia ad fratres et socios qui incipit : Ad habendum cognitionem [2].

Nec Mandonnet nec Michelitsch, qui recenter de S. Antonini catalogo sunt locuti, errorem observaverunt, quum uterque usus sit editione « emendata » a Petro Maturo S. I., qui initio erroneo « Ad habendum cognitionem » substituit initium congruum : « Quoniam paruus error », nihil tamen monens de initio a se expuncto [3]. Emendatio igitur erroris levioris, facta a P. Maturo, causa fuit erroris gravioris, quo scilicet vestigium opusculi 38 e S. Antonini catalogo omnino deletum fuit. Videtur autem adfuisse error in ipso S. Antonini autographo, vel saltem in antiquissimis apographis manu exaratis, quum Didascalus noster, cui vix prima quae typis prodiit Antonini editio (Norimbergae 1484) nota esse potuit, consilii iam inops in Prologo (n. 4) conquestus sit, opusculum *De quidditate entium* (= op. 30), quod incipit « Ad habendum cognitionem (= op. 38) se invenire non potuisse [4].

Opusculum 32 : *De natura materie* eodem modo e S. Antonini excidisse catalogo, certo probare non possumus ; id tamen verisimile esse, non est quod moneam. Nulla excogitari potest ratio,

---

1. Cf. MANDONNET, p. 70, n. 48s. MICHELITSCH I. 153, n. 47 s.

2. S. ANTONINUS, *Opus historiale (Summa historialis)*, Parte III, t. 18, c. 10, § 2. Ed. Basileae 10 Febr. 1491, fol. 30b2 (HAIN *1161 ; EMC. III. 769). Ed. Lugduni, Nic. Wolff, 27 Martii 1512, fol. 30b1.

3. *Divi Antonini Chronicorum opus*, emendatum... studio Petri Maturi [Madur] S. I., III (Lugduni 1587), p. 86, col. 1. Tum MICHELITSCH (I. 30, 157), tum DE BACKER-SOMMERVOGEL *(Bibliothèque de la Compagnie de Jésus.* Bibliographie, V, Bruxelles 1894, col. 279) laudant editionem vulgatam Lugduni anno 1586. Exemplar (vol. I-III) quod asservatur in Bibliotheca Regia Hagana inscriptum habet : « Lugduni, Ex officina Iuntarum, 1587 ».

4. Antiquae quae prodierunt editiones *Summae historialis* sunt : Norimbergae 1484, 1491 ; Basileae 1491, 1502, Lugduni 1512 etc. Ed. Veneta anni 1480, laudata a QUETIF-ECHARD (I. 819b) non existit. Confunditur sine dubio cum alterutra ex duabus editionibus *Summae theologicae* S. Antonini, quae prodierunt Venetiis 1477-80, et 1480-81 (HAIN *1243-44 ; PELLECHET 878-79). — Ex iis quae scripsimus eruditos iterum moneri, ne editionibus recentioribus nimis confidant, iam supra (p. 5) memoravimus.

cur S. Antoninus illud noluerit transscribere ex Bernardo Guidonis, a quo alia omnia transsumpsit.

Idem etiam sentire fas est de opusculis 41 : *De natura accidentis* et 42 : *De natura generis*, certo genuinis, quae desunt in catalogo B. Guidonis, et consequenter in catalogo S. Antonini. Bernardus Guidonis excripsit, quod nemo ignorat, catalogum Tolomei de Lucca integrum. En Tolomei verba :

> Item tractatus De principio individuationis qui sic incipit : Quoniam duae sunt potentiae cognoscitivae in HOMINE. || Item tractatus de natura generis qui sic incipit : Quoniam omnis creatura. Item tractatus de natura accidentis, qui sic incipit : Quoniam omnis cognitio HUMANA. || Item tractatus de natura materiae (etc.) [1].

Videtur autem Bernardus Guidonis penes se habuisse apographum catalogi Tolomeiani, e quo, propter homoeoteleuta « homine » et « humana », verba inter || || posita exciderunt. Error autem non videtur commissus ab ipso Bernardo Guidonis, qui opuscula S. Thomae non eodem ordine enumerat ac Tolomeus, sed serie plane diversa ; per homoeoteleuton igitur vix potuit in errorem abduci [2].

Ast quomodocumque opuscula 32, 38, 41 et 42 ex catalogis Antonini et Guidonis exciderint, fatendum est, ea non consulto fuisse omissa. Quod igitur editores Romani, S. Antonini iudicio nimis confisi, quattuor illa opuscula inter spuria relegabant, ne flocci quidem aestimandum est.

In diiudicanda opusculorum genuinitate editores Romani, qui S. Antoninum sequebantur, hoc modo differunt a fratre Didascalo, qui iurabat in verba magistri Petri de Bergomo. Opuscula 1-52 a Didascalo omnino aestimantur genuina. Romani ex his eiiciunt quatuordecim, puta : 9, 32, 38, 41-45, 47-52. Quoad quatuor tamen, scil. 32, 38, 41, 42 errant, cum nisi mala fortuna desint apud S. Antoninum. Quod autem attinet ad opuscula 53-56, 58-72 a Didascalo e codicibus conquisita, quatuor tantum ipse Didascalus putat certo genuina, quae sunt 58, 67, 69, 70. Ex his opusculum 67 : *De emptione et venditione* a Romanis immerito reiectum fuit inter spuria, quum a S. Antonino non enumeraretur (tempore S. Antonini hoc opusculum nondum fuit inventum). Opusculum tamen 58 : *Sermones XXXII de Eucharistia*, quod etiam deest apud Antoninum, Romani inter genuina retinebant, licet perperam.

---

1. MANDONNET, p. 62, n. 54-57 ; MICHELITSCH, I. 132, n. 53-56.

2. Etiam proxime ante locum laudatum in Tolomei catalogo perturbationem haud levem praebent codices manu exarati. Cf. OUDIN III. 266 ad calcem ; MANDONNET p. 62 (n. 53, 53 bis, 54) ; MICHELITSCH I. 131-132 (n. 51-53).

SECTIO VII

Pertractatio singulorum opusculorum. Observationes miscellaneae.

Ut *Summae opusculorum* origo, indoles atque natura, pondus quoque et auctoritas planius demonstrentur, simulque etiam ostendatur, qua ratione Pizzamanus fratris Didascali opus vitiavit, et editores Romani ex Pizzamano omnia exscripserunt, visum est singula opuscula brevi calamo pertractare, vel saltem eorum transscribere lemmata. Nam ex sola etiam lemmatum forma aliquid utilitatis capere licebit, quum indicia nobis praebeant de codicum manuscriptorum indole quibus saeculo XV. usus est frater Didascalus.

Quotiescumque utile nobis videbatur, lectiones indicavimus varias ; additamenta quoque, praetermissiones et interpolationes designavimus [1]. Ipsius fratris Didascali vel etiam Pizzamani exscripsimus annotationes censorias, historicas vel litterarias [2]; nonnunquam immo memoravimus codices manu scriptos [3]. Facile tamen intelligitur ex lectionibus variis nos eas tantummodo elegisse, quae graviores videbantur.

In adhibendis siglis et in eligendis lectionibus variis servavimus quae sequuntur normas :

M = Mediolanensis, seu editio opusculorum 51, vulgata a fratre Paulo Soncinate, Mediolani 1488. — Pizzamanus (P) et ed. Romana (R) hanc ubique sunt imitati (cf. imprimis opuscula 6, 10, 15, 18, 19, 22-24, 27, 70). Quum tamen ex 24 tantum opusculis ad manus habeam lectiones varias, easque haud integras (cf. supra, p. 30-31), manifestum est quod, quando PR laudantur, omisso M (ad opuscula nempe 3, 5, 7, 8, 43, 49, 50), inde non intelligere fas est, M et PR iis locis inter se non consentire.

---

1. Cf. ad opuscula 7, 13, 59, 68.

2. Vide Prologum, et ad opuscula 3, 6, 10, 13 (initio), 15, 27, 46, 48, 52 (ad calcem), 55, 59.

3. Cf. infra in Indice, s. v. Codices.

P (P1,P2) = Pizzamanus (P1=ed.1490 ; P2=ed.1498). Ubi ambae consentiunt ponitur una P littera. — Locos ubi P non sine rei litterariae detrimento quaedam omisit vide ad opuscula 52 (P2), 58, 59. Insuper P omisit fratris Didascali praeclarum Prologum ; quod iam monuimus. — P annotationes suo marte inserit ad op. 54, 57.

R = Romana. Exemplar editionis principis (tomi XVII. Romae 1571) in terris nostris reperire non potui. Usus tamen sum tribus apographis, Venetiis 1587, Antverpiae 1612, Parisiis 1634 prelo vulgatis, quae ad verbum inter se consentiunt, excepto quod in ed. Venetiis 1587 opusculum 38 : *De demonstratione* typis maioribus fuit expressum, sicut opuscula genuina. R ubique imitatus est editiones P. Post opusculum 40 inserit tamen spurium *Tractatum de eruditione principum*, quem non habet P.

S = Summa opusculorum. Eius verba ubique integre exscripsimus, indicatis foliorum numeris, quos ipse apposuit typographus. Negleximus itaque voluminis folia 24 priora, quae numeri nota carent.

Cod.MW est codex Musei Meermanno-Westreeniani (Claromontanus 540; Meermannianus 481), scriptus anno circiter 1480-90. Plenius describitur in Appendice II. Laudatur ad opusculum 68.

Observa tandem :

1° In designandis opusculorum numeri notis, pro eruditorum commoditate servavimus numeros ab R appositos, cum haec sit numeratio vulgata. Excipe tamen opuscula 2 et 3, quae R per errorem loco mutavit. — Quum autem P, quem sequitur R, opusculum 55 dividat in duo, et post op. 56 inserat Officium de SS. Sacramento (op. 57), S inde ab op. 55 in numerandis opusculis discedit a PR.

2° Exscribentes opusculorum lemmata vel formulas finales omisimus locutiones uniformes et exanimes, quas excogitavit Pizzamanus, quaeque plerumque scribuntur his verbis : « Incipit (Explicit) opusculum [trigesimum secundum etc.] eiusdem diui Thome de aquino... »

3° P(etMR) nonnunquam ad calcem opusculorum utuntur formula « secundum S. Thomam », quae, ut nemo ignorat, in medii aevi codicibus designare potest, tractatum ex alicuius verbis vel sententiis, sive scripto sive ore prolatis, fuisse conflatum ab alio quopiam. Tali formula P utitur ad calcem opusculorum 7, 8, 23, 24, 25, 26, 42, 53. Exemplum verbotenus exscripsi ad solum opusculum 23. Alia omisi, quum manifestum sit, Pizzamanum hac formula solummodo varietatis gratia usum fuisse.

1. Tractatus sancti thome de aquino contra errores [fol.1a1-10b2] grecorum ad vrbanum papam quintum (PR quartum. — M ad vrbanum pontificem maximum).

(Inc.) Libellum ab excellentia vestra mihi exhibitum

(Des.) omnia fere possunt reduci si quis inspiciat diligenter (MPR *om.* si quis insp. diligenter).

Error « quintum » pro « quartum » ab S, tum hic, tum in serie qua enumerat opuscula (fol. 2*a1 ; post Prologum) exscribitur ex Tabula Petri de Bergomo. Cf. Appendix III,1 C.

2. [R opusculum 3]. Tractatus sancti thome conti-[fol.10b2-17a1]
nens declarationem quorumdam articulorum contra grecos armenos et sarracenos (P2R *addunt* ad cantorem antiochenum [P2 anthiocenum]. — P1 *addit* quem scripsit ad instantiam cantoris anthioceni. — M Tractatus eiusdem super quibusdam articulis fidei quem scripsit ad cantorem anthiochenum).

(Inc.) Beatus petrus apostolus qui promissionem accepit

M ad supremas pagellas lemmata habet *De rationibus fidei*. Sic antiquitus opusculum inscribebatur (Grabmann 212). — R hoc opusculum per errorem 3° loco ponit (cf. infra).

3. [R opusculum 2]. Incipit compendium (PR *add.*[fol.17a1-68a2]
theologie) sancti thome de aquino (PR ad fratrem Reginaldum socium suum charissimum).

(Inc.) Eterni patris verbum sua immensitate omnia (R vniuersa) comprehendens vt hominem per peccatum minoratum

(Des.) ut dicitur ad romanos ix (PR *add.* Secundo ostendit hoc esse possibile ex euidenti exemplo).

Deinde sequitur in S, *et mutata dictione in* PR :

S. Hunc tractatum sanctus thomas imperfectum reliquit quia assumptus fuit per mortis debitum et est secundus tractatus compendij sui si quis tamen latius hanc materiam prosequi voluerit poterit in alijs suis operibus ea ad longum habere scilicet in opusculo septimo Item 2 2. q. j7 per totum. item.3. d. 26. item in questionibus disputatis de virtutibus. q. 4. item j2. q. 65.

PR. Hucusque compilauit (P1 complacuit !) sanctus thomas breuem compilationem theologie : sed proh dolor morte preuentus eam sic incompletam dimisit (R *hic desinit)* si quis voluerit hanc materiam latius habere legat opusculum septimum Item secunda secunde q. 17 per totum. Item .3. sen. di. 26. Item in questionibus de virtutibus.q.4. Item prima secunde.q.65.

SPR varie dividunt opusculum, variis usi appellationibus :

S. Tractatus I, pars I, cap. 1-191 ; pars II, cap. 1-63. Tractatus II.

P. Pars I, tractatus I, cap. 1-184 ; tract. II, cap. 1-62. Pars II, c. 1-10.

R. » » » » tract. II, c. 185-246. » » » »

R *ad calcem opusculi addit* : « Adverte quod praecedens Opusculum transpositum est, deberet enim esse tertium in ordine, sequens [id est, quod hic praecedit] autem secundum ».

4. Tractatus beati thome de x preceptis (MPR de [fol.68b1-78a1]
duobus preceptis charitatis et decem legis preceptis).

(Inc.) Tria sunt maxime necessaria homini ad salutem

(Des.) non desiderabis rem (P2R uxorem) proximi tui.

5. Incipit tractatus de articulis fidei et ecclesie [fol.78a1-82b2]
sacramentis (P1 ad archiepiscopum panormitanum).

(Inc.) Postulat a me vestra dilectio vt de articulis fidei

(Des.) corpus spirituale Ad quam gloriam nos perducat pater et filius et spiritus sanctus amen (PR spirituale Ad quam nos perducat qui viuit et regnat per omnia secula seculorum Amen. Explicit... sacramentis ad panormitanum archiepiscopum).

M opusculum dividit in duo. Ita etiam cod. 238 S. Genovevae (GRABMANN 134). — Opusculum hoc saeculo XV. vigesies circiter vulgatum fuit, plerumque hac inscriptione : *Summa de articulis fidei et ecclesie sacramentis*. Et in Concilio provinciali Coloniensi, anno 1452 praeside card. Nicolao de Cusa celebrato, nominatim commendatum fuit (cf. *Acta Conciliorum*, ed. J. HARDUIN, IX, Parisiis 1714, col. 1365E). Huius commendationis in nonnullis editionibus mentio fit his verbis (ex VK. 1155) : « Venerabilis dominus Nycolaus de cusa presbiter Cardinalis apostolice sedis legatus per almaniam In innouacione statutorum prouincialium ecclesie Coloniensis. eisdem statutis interseruit articulum qui sequitur. Item laudamus et legi mandamus in sinodo dyocesanis libellum sancti thome de aquino de articulis fidei. et sacramentis ecclesie. Quodque precipiatur curatis vt partem que est de sacramentis habeant et studeant diligenter ». Ed. [Colonie, Ulricus Zell, c. 1470] 4° (VK. 1155 ; HAIN *1424 ; PELLECHET 1023), fol. 16a. Ed. [Parisiis, S. Doliatoris, c. 1485] 4° (PELLECHET 1025 ; COPINGER II. n. 560=n. 561 ; REICHLING, *Supplementum*, Monasterii 1914, p. 66-67), fol.12a. — Cf. D. Thomae, *Opera omnia*, cur. S. FRETTÉ, XXVII (Parisiis, L. Vivès 1875), p. 170.

6. Tractatus super expositione (MPR deuotissima [fol.83a1-92a1] expositio) simboli apostolorum scilicet credo in deum (P2 *omittit* scilicet credo in deum).

(Inc.) Credo in vnum deum. Primum quod est necessarium

(Des.) vt semper magis memorie imprimatur (S *add. quae infra.* MPR Ad quam vitam nos perducat dominus ihesus cristus deus benedictus in secula seculorum Amen).

S (*et varia dictione* cod. Mazar. 1060 ; cf. edit. L. Vivès, XXVII, 229) *post* « imprimatur » *continuo pergit* :

« In summa vero sciendum est quod secundum quosdam sunt xij articuli de diuinitate sex scilicet quod est vnus deus in essentia. et ideo dicitur credo in vnum deum trinus in personis et ideo dicitur patrem et filium et spiritum sanctum qui est creator omnium et ideo dicitur creatorem celi et terre et quod ab eo sit omnis gratia et ideo dicitur remissionem peccatorum et quod suscitabit corpora nostra et ideo dicitur Carnis resurrectionem Et quod dat bonis vitam eternam De humanitate autem sex spiritualiter scilicet quod conceptus quod mortuus quod passus quod descendit ad inferos quod tercia die resurexit a mortuis quod ascendit ad celum sedet ad dexteram patris et quod venturus est iudicare viuos et mortuos etc. Rogemus ».

Addit ed. Vivès (l. c.) similia inveniri « in Cod. S. Vict. » Intellige codicem 635 olim S. Victoris, iam a Quetif-Echard adhibitum, nunc Parisiensem 14546, de quo vide GRABMANN 162 f.

Divisio Symboli in bis senos articulos apud scholasticos satis raro invenitur (cf. S. Thomas, *Summa Theol.* II. 2, q. 1, a. 8 ; S. Bonaventura, *Breviloquium*, V. 7). Communior est divisio in 7 articulos de Divinitate et 7 de Humanitate Christi (cf. Commentaria ad Sent. III, d. 25, a. 1, q. 1. [Hugo de Argentina],*Compendium theologicae veritatis* V. 21, De articulis fidei ; ed. Venetiis 1563, f.137b).

7. Tractatus sancti thome super expositionem (PR[fol. 92a1-97b1] deuotissima expositio) orationis dominice scilicet Pater noster.

(Inc.) Pater noster. Inter alias orationes oratio dominica

Post commentarium in verba : Qui es in coelis (*Des.* : ex quibus oratio congrue fit) S *addit* (fol.93a2-b1) :

« Vel nota hoc aliter secundum quod ibi quia per hoc quod dicitur. qui es in celis datur nobis fiducia orandi quantum ad tria scilicet quantum ad potestatem eius a quo petitur et quantum ad congruitatem petitionis potestas eius a quo petitur insinuatur si per celos intelligantur celi corporei et quamuis locis corporalibus deus non comprehendatur vt dictum est dicitur tamen esse in celis ad insinuandum hec duo scilicet propter eius virtutem et sublimitatem nature primum est contra illos qui dicunt omnia ex necessitate prouenire ut supra 2m contra illos qui fantasias sibi fingunt [fol. 93b1] et ideo dicitur esse in celis vt per illud quod in sensibilibus rebus est altissimum ostendatur diuina sublimitas omnia excedens vt supra et hoc quantum ad potestatem Sed quia propter eius altitudinem aliqui dixerunt etc. vt supra. Quantum ad familiaritatem et ydonietatem etiam accipitur oratio ex eo quod dicitur esse in celis secundum quod per celos scilicet spiritualia bona et eterna intelliguntur vt supra quantum ad congruitatem petitionis ».

Hoc additamentum, quod deest in PR, spectat ad ea quae paullo ante fuerunt dicta. Cf. ed. Vivès, XXVII. 186, col. 1, et lectiones varias ex cod. S. Gen. (nota 1) et ex ed. Parmensi [1852 ss.] (nota 12).

8. Tractatus sancti thome de aquino super expo-[fol.97b2-98b2] sitionem (PR deuotissima expositio) salutationis angelice scilicet aue maria.

(Inc.) Aue Maria gratia plena In ista salutatione tria continentur

In aliis codicibus (et in ed. Vivès, XXVII. 199) incipit : « Ave maria... Ista salutatio triplicem partem habet » (cf. Grabmann 181, 183, 185, 214). Eadem omnino forma exstat in cod. S. Victoris 635 (Paris. 14546). Cf. Quetif-Echard I. 333 a ; Grabmann 162 f.

9. Responsio sancti thome ad magistrum iohan-[fol.99a1-104b1] nem de vercellis generalem magistrum ordinis fratrum predicatorum de cviij. articulis sumptis * ex opere domini innocencij pape quinti qui fuit petrus de tarantasia ordinis predicatorum (MPR * ex opere petri de tarantasio).

(Inc.) Primo considerandum est quod ratio cuiuslibet rei

10. Responsio sancti thome ad magistrum iohan-[fol. 104b1-107a2]

nem de vercellis generalem magistrum ordinis predicatorum de 42 articulis.

(Inc.) Reuerendo in cristo...Paternitatis vestre litteras feria quarta

In responsione ad art. 39 (fol. 107a2) in solo S habentur ea quae infra ponuntur ad laevam. Varia lectio ab S continuo addita ponitur ad dextram. PR omittunt ea quae ad laevam, sed verba ad dextram inter ** posita legunt ut ibidem assignantur.

Nam cum septem planetis septem hore deputentur secundum astrologos cum xxiiij. hore sint naturalis diei * consequens est vt prima feria xxij. hore diei dominium habeat luna sicut et iupiter in xxiiij. eiusdem vnde incipiendo a saturno xxiij. diei deputabitur eidem saturno et xxiiij. ioui * Et prima... nec asserere nec improbare (Nota fidelis).

Nota fidelis lector hic fore defectum et quot legi exemplaria tot repperi diuersitates in hijs calculationibus Aliqua namque exemplaria habent * consequens est vt prima feria in xij. (PR in.22.) hora diei luna dominium habeat sicut et in prima eiusdem vnde incipiendo (PR reincipiendo) a saturno xiij. (PR.23.) hora ei deputabitur et xxiiij. ioui * (Et prima)

Articulus 42 (ultimus) in S graviter discrepat a MPR, ut mox sequitur (quod ad M attinet vide quae infra dicentur). Editio Vivès (XXVII, 254 s.) fere consentit cum S. Editio vero Parmensis, ibidem laudata, prorsus consonat cum MPR.

S. 42^{us} articulus est an possit sciri distancia superficiei terre vsque ad centrum eius Ad hoc michi videtur respondendum quod sciri potest secundum illum modum. certitudinis qui habetur in demonstrationibus astrologicis que tamen non sunt ita certe sicut demonstrationes geometrice et arisme.

MPR. 42^{us} articulus est an sciri possit distantia superficiei terre ab eius centro : videtur quod sic secundum tamen modum demonstrationis astrologice non geometrice.

Responsiones pater reuerende hee sunt que michi occurrerunt ad presens articulis a vobis transmissis respondende quamuis plures earum sint preter limites theologice facultatis Sed vestra iniunctione factum est michi debitum quod proprij professio officij nullatenus requirebat.

Hec sunt pater reuerende que pro nunc occurrunt : licet plura sint extra theologie limites requisita.

Quod attinet ad M, id unum mihi notum est, opusculum desinere verbis : « licet plura sint extra theologie limites requisita ». Quum autem P1P2R sua transscribere soleant ex M, existimo totum articulum 42^{um} in M consonare cum PR. Idem praesumas de articulo 39°.

11. Responsio sancti thome super xxxvi. arti- [fol.107b1-110a1]
culis ad lectorem venetum.

(Inc.) Litteris vestris perspectis (PR Lectis vestris litteris) inueni in eis articulorum multitudinem

12. Responsio sancti thome super sex articulis ad [fol.110a2-b2] lectorem bisontinum.

(Inc.) Karissimo sibi in cristo fratri gherardo... Recepi (PR Percepi)

(Des.) non est vnum peccatum sed multa (MPR Hec sunt frater carissime que ad presens mihi occurrunt questionibus a vobis propositis respondenda pro quo mihi si placet orationum suffragia impendatis).

13. Tractatus sancti thome secundum processum [fol. 111a1-b1] magistri de bergomo de verbo qui incipit ad intellectum huius nominis hunc tractatum nullibi potui inuenire atque sub eodem titulo xiij. ponit alium tractatum de verbo qui incipit videamus quid sit etcetera et est opusculum xiij.

(Inc.) Videamus quid sit hoc quod dicitur verbum. Ad cuius intellectum * sciendum quod secundum philosophum Ea que sunt in voce

(Des.) eiusdem nature cum deo et subsistens in natura diuina [cf. infra].

Petrus de Bergomo in sua *Tabula* (ed. Basileae 1478, fol. 2a) errat putans, opuscula duo *De verbo*, quorum unum incipit « Ad intellectum », alterum « Videamus », esse diversa ; initio tantum variant (cf. Appendix III, 1 C).

MPR, omissis quae habet S de opusculo frustra quaesito, idem exscribunt opusculum initio varium, et sub usitatiore inscriptione :

(13.MPR) De differentia (M differentijs) diuini verbi et humani.

(Inc.) Ad intellectum huius nominis quod dicitur verbum * sciendum est secundum philosophum, quod ea que sunt in voce

MPR *desinunt ut* S, *sed addunt* : « Nam ratio intellectiua quam intellectus... et productio eius dicitur generatio » *(implet 25 circiter lineas)*. Idem additamentum in ed. Vivès (XXVII. 267).

14. Tractatus de natura verbi intellectus. [fol. 111b1-112Bb1]

(Inc.) Quoniam circa naturam verbi intellectus sine quo

(Des.) et citius acquiritur. Et hec de verbo sufficiant.

In codicibus et catalogis veteribus inscribitur *De verbo*, aeque ac praecedens opusculum (cf. GRABMANN, 215, 264 s.).

15. Tractatus de substantijs separatis editus a [fol.112Ca1-127a2] sancto thoma de aquino ordinis predicatorum (M De angelorum natura [PR De substantijs separatis seu de angelorum natura] MPR ad fratrem reginaldum socium suum carissimum).

(Inc.) Quia sacris angelorum sollemnijs interesse non poss.

(Des.) ex inferiore ordine et corporeos esse. *Deinde additur* :

S. Explicit tractatus de angelis quem non compleuit angelicus doctor sanctus thomas sicut nec alia plura quae inceperat morte preuentus qui viuit cum angelis sine fine.

PR. Huc vsque scripsit sanctus doctor de angelis sed morte preuentus non potuit perficere hunc tractatum sicut nec plura alia que imperfecta reliquit.

M *nil horum habet, sed sequitur in* MPR : Explicit opus insigne (PR tractatus insignis) de angelorum natura ad fratrem (M Ragenaldum. P1 Ragynaldum. P2 Rigynaldum. R Reginaldum) socium suum.

Advertas velim P, et consequenter R, denominationi « angelicus doctor », ab S adhibitae, studio substituisse : « sanctus doctor ». De quo vide quae dicentur pag. 64-65.

In M foliorum lemmata sunt : *De angelis*. Opusculum antiquitus sic inscriptum fuisse videsis apud GRABMANN 149, n. 15 (cod. Vat. 807) MICHELITSCH I. 114, n. 34 (Stams) ; 162, n. 54 (Antoninus). Petrus de Bergomo, *Tabula* (ed. Basileae 1478), fol.2a.

16. De vnitate intellectus (M *om.* De vnit. intell.)[fol. 127a2-137a1] contra auerroistas (MP1 *add.* dicentes esse vnum et eundem intellectum omnium hominum).

(Inc.) Sicut omnes homines naturaliter scire desiderant

17. Incipit tractatus sancti Thome de aquino [fol.137a1-150a2] contra retrahentes a religione aut secundum aliquos de perfectione cristiane religionis (MPR Opus contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu).

(Inc.) Cristiane religionis propositum in hoc videtur consistere

Inscriptio *De perfectione cristiane religionis* ab S desumpta est ex Petro de Bergomo, *Tabula*, fol.2a. Eadem etiam in cod. Vat. 807 (GRABMANN 149,n.8;157). Invenitur primo in catalogo Bernardi Guidonis (MICHELITCSH I.155, n. 75).

18. Incipit tractatus beati thome de perfectione [fol. 151Aa2-165a1] spiritualis vite.

(Inc.) Quoniam quidam perfectionis ignari de perf. statu

(Des.) et homo exacuet faciem amici sui (MPR *add.* : Ipse autem deus iudicet inter nos et eos : qui est benedictus in secula seculorum Amen. Explicit opus diuinum beati thome de perf. vite spirit.).

Cod. 15813 Parisiensis desinit ut S (cf. ed. Vivès, XXIX. 156).

19. Disputacio beati thome de aquino contra li- [fol.165a1-216a1] brum magistri wilhelmi dicti de sancto amore (MPR Contra impugnantes dei cultum et religionem : quod quidem religiosorum omnium sed permaxime mendicantium propugnaculum est : turrisque validissima).

(Inc.) Ecce inimici tui sonuerunt et qui oderunt te

PR opusculo praemittunt *Argumentum* historicum, 30 fere lineas implens. (Inc.) Tempore sancti ludouici francorum regis Uilhelmus de sancto amore Sigeriusque... (Des.) disputauit firmauitque. — Forte transscriptum fuit ex M.

20. Tractatus sancti thome de regimine princi-[fol.216b1-259b2] pum (MP1R ad regem cypri. — *In* P2 *deest inscriptio*).

(Inc.) Cogitanti michi quid offerrem regie celsitudini

Huius opusculi pars, quae S. Thomam habet auctorem (dubitante tamen Jos. Endres), in nonnullis codicibus desinit verbis : « ut anime hominum recreentur » (l. II, c. 4 ; GRABMANN 217, 218, 265) ; in aliis vero : « corpora estate infirma redduntur » (l. II, c. 2 ; ENDRES 262) ; in Cod [635] S. Victoris (Paris. 14546) tandem : « diffusius documentum tradidit » (l. II, c. 5 ; cf. ed. Vivès, XXVII. 361. De ipso codice GRABMANN 162-163). — De editionibus typis exaratis, circa annos 1472/1473 vulgatis, vide supra p. 4-5. De genuinitate partis quae S. Thomae adscribi solet cf. Jos. Ant. ENDRES, *De regimine principum des hl. Thomas von Aquino (Studien zur Geschichte der Philosophie. Festgabe zum* 60. *Geburtstag Clemens Baeumker.* Münster 1913), S. 261-267. Contra Endres cf. GRABMANN 216-219.

21. Tractatus thome de iudeis ad petitionem du- [fol.260a1-261a2] xisse brabancie (MPR De regimine iudeorum ad ducissam brabantie).

(Inc.) Illustri domine etcetera Frater thomas de aquino ordinis fratrum predicatorum salutem etcetera. Excellentie vestre (MPR *inc.* Excellentie vestre).

Hic tractatus ab S videtur exscriptus ex editione typis vulgata (VK. 1173), adhibito praeterea codice quod amms. Cf. supra, p. 16-17.

22. Incipit tractatus sancti Thome de aquino de[fol.261b1-264b1] forma absolutionis et quibusdam alijs incidentibus (MPR De forma absolutionis ad tunc generalem magistrum sui ordinis).

(Inc.) Perlecto libello a vobis exhibito inueni assertionem

23. Expositio prime decretalis scilicet firmiter [fol.264b1-268a2] credimus (MPR decretalis ad archidiaconum cudestinum).

(Inc.) Saluator noster discipulos ad predicandum mittens

(Des.) specialiter erratum (MPR Explicit... decretalis secundum beatum Thomam aquinatem : ad archidiaconum cudestinum).

Pro « Cudestinum », quod in PR transiit ex M, alibi legitur « Tridentinum » vel « Tudertinum » (cf. GRABMANN 152, 220). — Cf. quae dicemus de lemmate opusculi sequentis.

24. Expositio secunde decretalis sancti thome [fol 269a1-270b1] de aquino (MPR Expositio super secundam decretalem ad eumdem)

(Inc.) Dampnamus ergo et reprobamus. Exposita

Dictiones diversae « prime decretalis » et « super secundam decretalem », quae ex M et inde per P1P2 propagatae sunt ad ed. Romanam et ultra, iam habentur in cod. Vat. 807 (ap. GRABMANN 152, n. 31-32).

25. Tractatus sancti thome de sortibus ad domi-[fol.270b1-274b2] num iacobum de burgo.

(Inc.) Postulauit a me vestra dilectio vt quid de sortibus

26. Tractatus sancti thome de iudicijs astrorum [fol.274b2-275a1] ad fratrem reginaldum (MPR *add.* ord. pred. socium suum carissim.).

(Inc.) Quia quesiuisti (PR petisti) a me vt scriberem tibi

27. Tractatus sancti thome de eternitate mundi [fol.275a2-276b2] (MPR *add.* contra murmurantes)

(Inc.) Supposito secundum fidem catholicam mundum

(Des.) videntur probabilitatem afferre (MPR Explicit tractatus de eternitate mundi clarissimi doctoris s. thome ord. predicatorum).

S *post verba* « probabilitatem afferre » *addit :*

« Quid autem de isto sit tenendum diligens lector attendat. hoc autem sine dubitatione aliqua est tenendum quod mundus habuit durationis inicium quia scriptura sacra que mentiri non potest hoc clamat. in principio creauit deus celum et terram et hoc idem etiam ex multis alijs locis habetur tam ex canone biblie quam ex dictis sanctorum. vnde opinio philosophorum ponentium eternitatem mundi erronea est et a cristi fidelibus reprobanda est. vtrum autem ipse deus ab eterno eum facere potuit ipse deus nouit si enim eum ab eterno facere non potuit hoc non propter eius impotentiam fuit sed propter impotentiam creature que fieri non potuit ab eterno etiam si deus eam ab eterno facere potuit ».

Huius additamenti auctor (frater Didascalus ?) profitetur sententiam Alexandri Halensis, Alberti Magni, Bonaventurae, Petri de Tarentasia, Ulrici de Argentina, Matthaei ab Aquasparta, Richardi a Mediavilla, Henrici Gandavensis etc., quae partim contraria est sententiae S. Thomae, Aegidii Romani, Joh. Duns Scoti aliorumque. Cf. *S. Bonaventurae opera omnia* II (Quaracchi 1885), p. 24 (Scholion).

28. Incipit tractatus de fato sancti thome de [fol.277a1-281b1] aquino.

(Inc.) Queritur de fato an sit quid sit vtrum necessitatem

Est Alberti Magni. Cf. p. 27 Addendum.

29. Tractatus beati thome de principio indiui-[fol.281b1-282b1] duationis.

(Inc.) Quoniam duae sunt in homine potentie cognoscit iue

30. Incipit tractatus sancti thome de ente et [fol.283a1-288b1] essentia.

(Inc.) Quoniam (P Quia) paruus error in principio magnus est

R opusculum hoc loco omittit et studiosos delegat ad tomum IV editionis Romanae « post Methaphysicam, vbi illud inuenies a R.

D.D. Thoma Caietano Cardinale expositum ». — Editio tamen *Opusculorum* quae prodiit Parisiis 1634, integrum opusculum suo loco (p. 406-408) exhibet, idque in libri fronte diserte nuntiat emptoribus.

31. Incipit tractatus beati thome de principiis [fol.288b2-291b2] rerum naturalium (MPR de principiis nature ad fr. Siluestrum).
(Inc.) Nota quod quoddam (PR Quoniam quoddam) potest esse

32. De natura materie et dimensionibus intermi-[fol.292a1-298b1] natis tractatus eiusdem doctoris.
(Inc.) Postquam de principijs sermo habitus est remansit
Cf. infra, ubi de opusculo 46.

33. Incipit tractatus beati thome de mixtione [fol.298b1-299a2] elementorum ad magistrum philippum.
(Inc.) Dubium apud multos esse solet quomodo elementa

34. Tractatus sancti thome de occultis operibus [fol.299b1-301a1] nature ad quemdam militem.
(Inc.) Quoniam in quibusdam corporibus naturalibus

35. Tractatus sancti thome de motu cordis ad [fol.301a1-302a2] magistrum philippum.
(Inc.) Quoniam (PR Quia) omne quod mouetur necesse est

36. Incipit tractatus de instantibus sancti tho-[fol.302b1-305b2] me de aquino.
(Inc.) Quoniam omnem durationem concomitatur instans

37. Incipit tractatus sancti doctoris de opposi-[fol.306a1-310b2] tionibus (MPR de quatuor oppositis).
(Inc.) Quoniam quatuor sunt oppositiones vt dicitur

38. Tractatus sancti thome de aquino de demon-[fol.310b2-311a2] stratione.
(Inc.) Ad habendum cognitionem de demonstratione

39. Incipiunt eiusdem doctoris fallacie ad quos-[fol.311b1-318b2] dam nobiles artistas.
(Inc.) Quia logica est rationalis scientia et ad ratiocinandum

40. Incipiunt modales sancti thome de aquino [fol.319a1-319b1] (MPR de propositionibus modalibus).
(Inc.) Quia propositio modalis a modo dicitur Ad sciendum

NOTA. R hic inserit *De eruditione principum*, sed in indice monet : « Ne antiquorum opusculorum seriem euerteret, numero [illud] non

signauimus ». — Non est S. Thomae, sed Guilielmi Peraldi (QUETIF-ECHARD I. 134. 339), vel Vincentii Bellovacensis (MANDONNET 152).

41. Tractatus sancti thome de natura accidentis. [fol.319b2-321a1]
(Inc.) Quoniam omnis cognitio humana a sensu incipit

42. Tractatus sancti thome de natura generis. [fol.321a1-333b1]
(Inc.) Quoniam omnis creatura generis limitibus continetur

43. Tractatus sancti thome de potentijs (P1P2 [fol.333b1-338b2]
de principijs) anime.
(Inc.) Ut adiutorium homini collatum et progressum peccati
(Des.) vt visum est Explicit feliciter (P1 P2 Explicit... de potentijs anime) .
Opusculum ab S exscriptum fuit ex VK. 1176 ; cf. supra, p. 16.

44. Tractatus sancti thome de tempore. [fol.338b2-342b2]
(Inc.) Sicut vult philosophus ij. metaphysice difficultas
(Des.) differunt ab inuicem Explicit tractatus de tempore.

45. Tractatus de pluralitate formarum sancti [fol.343a1-348b2]
thome de aquino ordinis predicatorum incipit feliciter.
(Inc.) Quoniam sanctum est honorare veritatem pre ceteris
Alibi inscribitur : *De unitate formae.* An opusculum sit S. Thomae dubitant. Videtur auctorem habere fratrem Thomam Anglicum (de Sutton ? Jorze ?). GRABMANN 110 s., et infra, Appendix II, sub 4 H.

46. Opusculum xlvi. Tractatus sancti thome de dimen-[fol.348b2]
sionibus interminatis qui incipit postquam de principijs.
SPR *continuo addunt :*
« Hic tractatus concordat (PR Hic tr. est idem) cum opusculo xxxij. quod est (PR superius posito qui) de natura materie et dimensionibus interminatis (PR *add.* intitulatur) require ibidem. Et quia magister petrus de bergomo hunc tractatum (PR bergamo in tabula sua hoc opusculum) diuidit in duos distinctos titulos scilicet de natura materie seorsum et de dimensionibus interminatis seorsum ideo ad obseruandum eius ordinem et numerum hunc titulum hic interseruimus ».

47. Tractatus sancti thome de natura silogis-[fol.348b2-350b2]
morum.
(Inc.) Quoniam scire est causam rei cognoscere

48. Opusculum xlviij. Summa sancti thome totius [fol.350b2]
logice.

S. Hunc tractatum post plurinos labores nullibi potuimus inuenire sed nec eius inicium magister petrus de bergomo. inter opuscula ponit : quamuis isto ordine et numero hic [illum] interserit signum quod ad eius manus hic tractatus nondum peruenit [Cf. Appendix III, 1 C].

Pr. Opusculum 48^m secundum magistrum petrum de bergamo in tabula sua est summa totius logyce. Quem tractatum multis laboribus quesitum nullibi potuimus inuenire : sed nec eius initium magister petrus de bergamo predictus inter opuscula ponit : quamuis ipsum hoc in loco in sua tabula allegauerit. Signum est autem quod etiam ad eius manus non peruenerit.

Mutatis, ut patet, paululum verbis, Pizzamanus in sua quam curavit editione prima (Venetiis 1490) post S repetit, *Summam totius logice* « multis laboribus quesitam » (!) nullibi se potuisse invenire. Paullo tamen post tractatus in nescio quo codice inventus fuit ab Hieronymo Monopolitano, O. Praed., qui illum edidit et ipsi Pizzamano dedicavit (Venetiis, typis Simonis Bevilaqua, die 20 Maii 1496. Cf. HAIN-COPINGER * 1490 [= HAIN 8532] ; PELLECHET 1075. — QUETIF-ECHARD hanc editionem memorant t. I, p. 340, sed nec ibi, nec t. II, p. 76 sciunt, eam prodiisse curis Hieronymi Monopolitani). In altera sua editione (Venetiis 1498) Pizzamanus *Summam totius logice* opusculis S.Thomae interserit, eamque in libri fronte nuntiat, prorsus tamen tacens eam a Monopolitano iam fuisse editam.

De Hieronymo Monopolitano cf. supra, p. 28. Vide etiam in Appendice III, 4E, quae Ambrosius de Alemania de hoc perhibet opusculo.

Tam Monopolitanum quam Pizzamanum fugit, *Summam logicae* iam anno circiter 1491 prodiisse Lipsiae hac inscriptione : *Logica beati thome aurea et proficere volentibus vtilis et necessaria diligenterque correcta et emendata in florentissimo studio lipsensi* [Lipsiae, Mart. Landsberg, non post annum 1491] 8° (HAIN *1489. ISAC COLLIJN, *Katalog der Inkunabeln der Königlichen Universitäts-Bibliothek zu Uppsala*, Uppsala [1907], n. 1423. Exemplar Uppsalense habet inscriptionem anno 1491 manu exaratam). Imaginem paginae 1^ae huius libri phototypice expressam habes in *Veröffentlichungen der Gesellschaft für Typenkunde des XV. Jahrhunderts*, I (Halle 1907), Tafel 14, ex qua manifestum est, editionem anno 1496 a Monopolitano digestam, non esse apographum editionis Lipsiensis.

De auctore opusculi, qui, ut putat Grabmann, non est Hervaeus Natalis, cf. GRABMANN 168-171. — Ed. Pizzamani, tr. 6, c. 9 legit : « sicut dicitur *ciuis* a *ciuitate* : et *pragensis* a *praga* » (fol. 211b2). Et tr. 7, c. 2 : « Idem facimus nos in logica vulgari. Nam dicimus *ei corere mio*. vbi ly *mio* est articulus » (fol.213b1). Cf. GRABMANN 170-171.

49. Tractatus sancti thome de sensu respectu [fol.351a1-a2] singularium et intellectu respectu vniuersalium.

(Inc.) Circa considerationem sensus quare sit singularium

(Des.) sed non est species quamuis homo sit species (PR *om.* quamuis... species).

50. Tractatus sancti thome de inuentione medij. [fol.351b1-2]
(Inc.) Quoniam principium sylogizandi vnamquamque prop.
(Des.) cum quibus sunt conuertibilia (PR *add.* ideo risibile antecedit et sequitur hominem).

51. Tractatus sancti thome de aquino de natura [fol.351b2-352b2]
luminis.
(Inc.) Considerandum est de natura luminis

52. Tractatus sancti thome de natura loci. [fol.352b2-354b2]
(Inc.) Ad sciendum naturam loci considerare oportet

NOTA. Post opusculum LII additur ab SP1 [fol.354b2] :
« Hic finitur numerus et ordo opusculorum secundum processum magistri petri de bargomo (P1 bergamo). subsequentia vero opuscula asscripta sancto thome inuenimus in nonnullis codicibus inter que aliqua vere a doctore sancto sunt compilata vt testatur dominus antoninus in sua cronica Similiter magister petrus de bargomo (P1 bergamo) in sua quam super libris sancti thome compilauit tabula vt puta *de sacramento. super boecio de ebdomatibus* et *trinitate* Alia vero sub dubio relinquimus. sed quia doctori sancto communiter in omnibus fere codicibus asscribuntur ideo in subsequentibus hic annotantur ».

Haec annotatio, pro traditione litteraria opusculorum S. Thomae haud inutilis, a P2 omittitur, et proinde etiam ab R omnibusque eius apographis typis vulgatis.

Pro suo more S hic satis obscure loquitur. Eius oratio huc spectat : Quum Petrus de Bergomo, praeter 52 opuscula enumerata, etiam alios libros a S. Thoma compositos nominet, inter quos exstant *Officium de SS. Sacramento* et *Expositiones in Boethii de hebdomadibus* et *de Trinitate* (Opuscula 57, 69, 70), cumque insuper S. Antoninus eadem tria opuscula enumeret, illa aestimamus genuina. Alia vero quae addidimus opuscula « sub dubio relinquimus ».

Eadem fere quae S hic dicit, in Prologo (n. 6) repetit, ibi tamen addens aliud opusculum (67 : *De emptione et venditione)*, tantisper sine dubio inventum. Observa, velim, tam Petrum de Bergomo quam S. Antoninum diserte nominare *Officium de SS. Sacramento* (op. 57), nullumque facere verbum de opusculo *Sermones XXXII de eucharistia* (op. 58). Didascalus tamen noster de opusculo 57 genuino prorsus tacet, et opusculum 58 spurium, quod suae *Summae opusculorum* inserit, videtur habuisse genuinum. Cf. infra.

53. Incipit tractatus de intellectu et intelligibili [fol. 355a1-356a2]
editus a fratre thoma de aquino (PR *om.* editus a ... de aquino).
(Inc.) Sciendum quod de ratione eius quod est intelligere

Licet hoc opusculum ordinarie aestimetur spurium, certo tamen iam saeculo XIII. ineunte fuit conscriptum. Quod et manifestant verba « a *fratre* thoma » ab S sine dubio ex codice quopiam manu scripto transsumpta. Eadem verba habentur in lemmate opusculi 66 (cf. ibi, et p. 63) De hoc opusculo 53 cf. GRABMANN, 7 Anm. 1, 127.

54. Tractatus beati thome de quo est et quod est. [fol. 356a2-b1]

(Inc.) In omnibus in quibus est compositio ex materia et forma

PR *ad calcem opusculi addunt* :

« Nota quod hoc opusculum est imperfectum et valde corruptum : vt puto vitio impressorum qui illud in alemania impresserunt : ne autem ordo totius libri destrueretur (R. destitueretur) : ipsum etiam prout illud inuenimus reliquimus: quia nullibi inueniebatur alia copia qua melius emendari potuit ».

Hoc uno loco Pizzamanus obscure et e longinquo indicat fontem, ex qua hausit fere omnia, erronee tamen perhibens, S fuisse typis expressum « in alemania ». (cf. supra, p. 6 11).

Opusculum extractum esse ex S. Thomae *Commentar. in Sententias* (l. I, d. 8, q. 5, a. 2), monet Mandonnet, p. 151.

55. Tractatus sancti thome de vniuersalibus. [fol. 356b1-360b2]

S, *et ex eo* PR, *hanc annotationem opusculo praemittunt* :

« Et sciendum doctorem sanctum scripsisse de vniuersalibus. vtrum tamen vnum aut plura de eis scripserit opuscula sub dubio relinquimus Nec mirum si diuersis studentibus ad eorum petitionem diuersa sub [*lege* : super] eadem materia conscripsit opuscula cum triplicia (PR cum plura etiam) super materia de uerbo inueniuntur sancti thome opera ».

Bene PR verbo « triplicia » substituunt « plura », quum S. Thomas duo tantum *De verbo* scripserit opuscula (cf. supra ad op. 13).

* Primus tractatus de vniuersalibus. [fol.356b1-359a1]

(Inc.) Circa vniuersalia multiplex fuit et diuersorum phil.

Quod sequitur opusculum in PR proprio numero (56) notatur. In numerandis opusculis PR deinceps discrepant igitur ab S.

56 [S 55]. Incipit secundus tractatus de vniuer-[fol. 359a1-360b2] salibus.

(Inc.) Quoniam sicut (PR *om.* sicut) dicit aristoteles primo post.

(Des.) ex preexistente cognitione in alijs scientijs procedatur.

S *statim addit* (fol.360b2) :

FINIUNTUR OPUSCULA DOCTORIS SANCTI

Quae sit causa, quare S hic voluerit volumen concludere, licet nondum essent inserta opuscula *De sacramento* et bina *Super Boethium* commentaria, inquiritur infra ad opusculum 57.

In Bibliotheca Duacensi servatur exemplar *Summae opusculorum* 360 habens folia (cf. PELLECHET 1091). Adverte etiam, folium 360 esse ultimum fasciculi quod pp signatur, quo fiebat, ut volumen facile concludi posset. Videntur itaque saltem nonnulla exemplaria mancae huius editionis fuisse vendita vel distributa.

57 [ex PR ; deest in S]. [Incipit officium (et Missa) de festo corporis cristi ad mandatum Vrbani pape quarti dictum festum instituentis per beatum Thomam aquinatem].

S hoc opusculum praetermittit, licet disertis verbis enumeretur a binis viris, a quibus ipse perpetuo repetit auctoritatem.

S. Antoninus enim ait : « Mandante quoque eodem Urbano composuit totum officium tam diurnum quam nocturnum festi corporis Christi ac etiam missae » (MICHELITSCH I. 160).

Et Petrus de Bergomo : « Officium de sanctissimo corpore cristi ad mandatum vrbani pape » (*Tabula*, Bononiae 1473, fol.2b ; cf. Appendix III, 1 B).

Mirum autem valde est, S hic consulte et studio Officium de festo Corporis Christi omisisse. Auctoritatem licet invocans S. Antonini et Petri de Bergomo, tum in suo Prologo (n. 6), tum post opusculum 52, studio tamen abstinet ab accurata opusculi denominatione, loquens tantum de « opusculo » quod est « de sacramento », et omnino tacens de « Officio » composito « ad mandatum vrbani pape ».

Diligenter, quaeso, inspicias lemma, quod S praeponit opusculo insequenti (58) : *Tractatus Sancti Thome de venerabili sacramento ad mandatum vrbani pape.* Ecquis aliud expectabit quam Officium de festo Corporis Christi ? Et tamen Didascalus noster sub hoc lemmate praebet opusculum prorsus diversum, quod ordinarie inscribitur : *Sermones XXXII de Eucharistia*, et quod certo in nullo codice manu scripto perhibetur compositum « ad mandatum vrbani pape ». Consulto igitur Didascalus legentibus intendit persuadere, opusculum de SS. Sacramento, a S. Thoma ad mandatum Urbani IV compositum, non esse Officium, sed Sermones XXXII de SS. Sacramento.

E quibus vix aliud deduci posse mihi videtur, quam quod Didascalus noster Officium de SS. Sacramento aestimabat opusculum spurium.

An forte ad hanc opinionem adductus fuit improviso responso : « Hoc nego tibi », quod Urbanus V anno 1368 dedit Helyae Raymundo, magistro generali coram eo affirmanti, Officium de festo Corporis Christi a S. Thoma fuisse compositum ? (Cf. *Acta Sanctorum*, t. I Martii, ed. 3ª, p. 720 E). An potius, dum « in diuersis mundi climatibus » S. Thomae opuscula conquirebat, commorans in dioecesi Leodiensi edoctus fuit de antiquiore Officio eiusdem festi, e quo S. Thomas dicitur nonnulla exscripsisse ? (cf. *Vita S. Julianae Corneliensis*, ed. G. HENSCHENIUS in *Act. Sanctorum*, t. I Aprilis, ad diem 5, ed. 3ª, p. 459 ; vide et p. 476, in nota c, et Appendicem *De officio ven. Sacramenti* [auctore D. PAPEBROCHIO de quo cf. infra], p. 893-896).

Quicquid est, constat fratrem Didascalum dubium de Officii genuinitate haurire potuisse ex ipsis sui Ordinis constitutionibus. Iam enim anno 1322, uno inquam anno ante S. Thomae canonizationem, capitulum generale Ordinis, apud Viennam in Gallia celebratum, inchoavit quae sequitur constitutionem : « Volumus, quod officium de corpore Christi, per venerabilem doctorem fratrem Thomam de Aquino editum, UT ASSERITUR, per totum ordinem fiat ». Altera huius constitutionis inchoatio facta est in capitulo generali Barcinonae anno 1323 habito, et tandem confirmata fuit in capitulo generali insequenti, apud Burdigalam anno 1324 celebrato, verbotenus perpetuo capituli Viennensis iteratis verbis (cf. *Monumenta ordinis Fratrum Praedicatorum historica*, ed. B. REICHERT, IV, Romae 1899, p. 138, l. 23 ; p. 144, l. 4 ; p. 151, l. 27 ; vide etiam p. 145, l. 7 et p. 152, l. 5).

Quoad Papebrochium animadvertas, eum sententiam, anno 1675 in tomo I Aprilis primo expositam, omnino retractasse in *Conatu chronico-historico ad Catalogum Pontificum* (p. II, diss. XXIII ; sub n. 183, Urbanus IV), qui primo prodiit Antverpiae anno 1688 in *Propylaeo ad septem tomos Maii* (in ed. 3ª, Parisiis 1868, p. 51**-53). Interea namque, anno 1680, Natalis Alexander praeposito generali Societatis Iesu, Iohanni Paulo Olivae, obtulerat *Expostulationem* contra sententiam Henschenii et Papebrochii. Conqueritur Papebrochius — et etiam Jac. Echard ostendit sibi displicuisse — quod illae *Expostulationi* « odiosae », directae ad Patrem Olivam, non substituta fuerit « placida dissertatio » cum uno Papebrochio (cf. l. c., pag. 53**).

Natalis Alexandri *Expostulatio* denuo ab eo edita fuit, breviori calamo, sed additis litteris Patris Olivae, in eiusdem *Historia ecclesiastica*, studio C. Roncaglia, t. VIII, diss. VI, art. I (ed. Lucae 1734, p. 399-401). Utrum Papebrochius sententiam ex animo, an contra ex artificiosa quadam persuasione revocaverit, videant alii.

Alia quae de genuinitate Officii de SS. Sacramento fuerunt conscripta enumerat GRABMANN, S. 23, et S. 232-233.

Admisso semel dubio de genuinitate Officii de SS. Sacramento, frater Didascalus facillime induci potuit ut crederet, opusculum de SS. Sacramento, quod ab antiquis laudabatur, esse *Sermones XXXII de Eucharistia*. Patres enim Quaracchiani, qui horum Sermonum codices manu scriptos diligenti cura inspexerunt, docte observant, ex 102 codicibus quos vidit olim P. Fidelis a Fanna, 51 ferre nomen S. Thomae, idque plerumque prima manu. Horum codicum 51 saltem 13 conscripti sunt saeculo XIV, sed post medium. Tres vel quatuor tantum codices nomen habent B. Alberti Magni, cui opusculum ordinarie tribuitur. Cf. *S. Bonaventurae opera omnia*, V (Ad Claras Aquas 1891), pag. LI. — Caetera de his sermonibus vide mox, ad op. 58.

Pro certo caeteroquin habendum est, opinionem fratris Didascali non omnibus sodalibus coaevis placuisse. Et haec forte fuit causa, cur post opusculum proxime praecedens (56) typis excusa fuerit subscriptio obscura : « Finiuntur opuscula doctoris sancti ». Fieri enim potest, ut inter fratres orta sit dissensio, et Didascalus noster sive sua sponte, sive coactus, in animo habuerit, volumen post opusculum 56 concludere.

PR officio de festo Corporis Christi breviculam praemittunt adnotationem historicam vix ullius valoris. Perhibet hic Pizzamanus, quem errantem secuti sunt Romani, corpus beati Thomae translatum fuisse sub Urbano V « anno domini 1379 ». Idem error transiit ad Copulatistas Colonienses qui illum iterabant in suis commentariis super Aristotelis *Novam logicam* (cf. VK, 139 et 140, fol.1b2 ; vide etiam J. HARTZHEIM, *Bibliotheca Coloniensis*, Coloniae 1747, p.253b). Immo et Ambrosius de Alemania, O. Praed., qui anno 1497 Petri de Bergomo edidit Tabulam auctam (cf. Appendix III, 4 C), eundem repetit errorem, Urbano V tamen substituens Urbanum VI, quod chronologiae melius consonat. Nemo tamen nescit, S. Thomae corpus translatum fuisse sub Urbano V anno 1368. De translationis bulla, quam S exscripsit e Petro de Bergomo, vide supra, p. 20, sub 3. Cf. etiam p, 32.

58 [S 56] Tractatus Sancti Thome de aquino [fol.361a1-390b2] de venerabili sacramento ad mandatum vrbani pape (PR *om.* ad mand. vrbani pp.).

(Inc.) Venite comedite panem meum... Hijs uerbis dominus

De huius lemmatis origine dictum est ad opusculum 57.

Ordinarie tractatus hic inscribitur : *Sermones XXXII de Eucharistia* et inter B. Alberti Magni opera genuina enumerari solet (cf. P. DE LOË, *Analecta Bollandiana*, XXI, 1902, p. 368, n. 62. F. PANGERL, *Zeitschrift für katholische Theologie*, XXXVI, 1912, S. 345). Anno circiter 1477 opusculum prodiit Coloniae sub nomine Alberti Magni (VK. 49 ; HAIN *450 ; PELLECHET 288 ; BMC. I. 253), et deinceps saepius, tum Coloniae, tum alibi.

Sed iam circa annum 1472 opusculum prodierat Coloniae sub nomine S. Thomae (VK.1143 ; HAIN *1396 ; PELL. 1000 ; BMC. I. 205), additis Prologo et Sermonum titulis, quæ hic in S et in PR desunt cf. supra, p. 18). Vulgatum quoque fuit inter opera S. Bonaventurae a [B. BONELLI], *S. Bonaventurae operum omnium Supplementum*, III (Tridenti 1774), col. 758-949. Cf. [Eiusdem] *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventurae* (Bassani 1767), col. 674-678.

Codices manu scriptos huius opusculi maximam partem nomen prae se ferre S. Thomae, et 3 vel 4 tantummodo B. Alberti Magni, iam diximus ad opusculum 57.

Sermonum auctor, quisquis fuerit, opusculo praefixit Arborem fructuum SS. Eucharistiae, ramis foliisque ornatam, quam Bonelli in codicibus sibi notis dolebat deesse (*Supplementum*, III. 758, nota e). Eam litographice depingi fecit in singulari *Sermonum* editione, quam B. Alberto adscriptam vulgavit, G. JACOB (cf. supra, p. 18, nota 3). Ipse Sermonum auctor arborem memorat tam in Prologo quam in Sermone XXI.

S arborem depingit simplici admodum humilique figura (fol.361a1) per sententias breviculas 32, partim ex tranverso dispositas, solis typis expressas. Deficiente Prologo, arborem in solo capitulo [Sermone] XXI memorat his verbis (fol.379b2) : « Isti xij. languores et fructus sunt picti ante hoc opusculum in specie duarum arborum et potest hic de quatuor languoribus et fructibus dici et de aliis in sequentibus » (cf. ed. JACOB, p. 135).

Pizzamanus, quem sequitur R, non solum arboris figuram quomodocumque exprimere neglexit, sed et suo marte ex Sermone XXI expunxit verba modo laudata.

Licet hoc opusculum a S. Antonino nullibi inter S. Thomae opuscula memoretur, editores tamen Romani (R) typis maioribus illud excudi fecerunt, eodem modo ac alia opuscula quae aestimabant genuina (cf. p. 36).

59 [S 57]. Tractatus beati thome de sacramento [fol.390b2-396a2] eucharistie ad modum decem predicamentorum ad petitionem quorumdam prelatorum et baronum.

(Inc.) Memoriam fecit mirabilium... Esca ista de qua loquitur

(Des.) sedet ad dexteram dei patris omnipotentis.

S (non vero PR) addit quae sequuntur. His quoque insero lectiones varias ex VK. 1162 et 1163, item ex codd. Utrecht 135 et 297, quae binae omnino consonant. In VKU omittuntur tamen verba : « Quod sequitur... ad verbum ».

« Quod sequitur in fine scriptum repperi de verbo ad verbum. Hunc tractatum fecit eximius et egregius ac venerabilis (VKU *add.* excellens) doctor sanctus thomas de aquino ordinis (VK. *add.* fratrum) predicatorum ad petitionem quorumdam prelatorum et baronum quasi coactus quem noluit publicari (VKU publicare) nisi esset a deo approbatus. quem accipiens et super altare ponens rogauit dominum vt si aliquis error esset in eo (VK in eo esset) ostenderet et si bene (VKU si sibi) placeret et bene staret manifestaret. quod et factum est Vnde cum ante altare propter hoc rogaret dominum subito a spiritu est (VK subito a domino est in spiritu) eleuatus in altum (VK *om.* in altum) et audiuit vocem sibi dicentem Thoma dei electe librum quem de me fecisti secure manifesta quia quicquid ibi dic [396b1] tum est non a te sed a spiritu sancto qui tecum est dictum est. et non melius aliquis viuens in hoc mundo dicere posset Hec vidit et audiuit quidam frater Sanctus bidellus (VK. bidellius) qui a longe stans omnia predicta considerauit et respiciebat ».

Frater Didascalus narratiunculam hac notat censura :

« Hoc non videtur fuisse vel accidisse de isto tractatulo sed de quibusdam alijs operibus eius propter ea que scribuntur Hic iuxta titulum super coopertorium quoniam petrum (!) de carthasia (!) qui fuit papa innocentius quintus post beatum thomam legitur fuisse. Dico ego hoc falsum esse cum petrus de tarenthasia et sanctus thomas vt magistri fuerunt simul parisius in capitulo quodam generali celebrato anno. m. cc. lv. ».

Animadvertas, velim, quod S, licet neget narratiunculam pertinere ad opusculum 59, tamen in opusculi lemmate addidit « ad petitionem quorumdam prelatorum et baronum », quae ex narratiuncula desumpsit. Idem transiit ad PR, licet hi narratiunculam omittant.

Eandem narratiunculam, sed absque nota censoria, nuper edidit GRABMANN (S. 260) ex J. B. MITTARELLI, *Bibliotheca codd. mss. monasterii S. Michaelis prope Murianum* (Venetiis 1779), col.1123s. — Saepe tamen iam fuit typis expressa in antiquis opusculi 59[1] editionibus singularibus, quarum 7 prodierunt Coloniae (1473-c.1495 ; cf. VK. 1162-1168), una Olomucii c.a. 1499 (A. SCHUBERT, *Die Wiegendrucke der... Studienbibliothek zu Olmütz*, Olmütz 1901, n. 1523), et una Lipsiae anno 1505 (R. PROCTOR, *An index to the early printed books in the British Museum*, II, 1501-1520, Section I, Germany, London 1903, n. 11444). Cf. etiam HAIN *1368-74 ; PELLECHET 978-983.

Haec vestigia secutus, narratiunculam etiam inveni in tribus codicibus manu exaratis saeculi XV., puta in codd. Utrecht 135 (fol.134a), et 297 (fol. 61a), et in codice Berolinensi 852, fol. 180b. Cf. V. ROSE, *Verzeichniss der lateinischen Handschriften (der Königlichen Bibliothek zu Berlin)*, II. 2 (Berlin 1903), S. 991. Et hac via iterum animadverti, narratiunculam iam anno 1831 fuisse editam ex cod. Utrecht 297 a J. J. DODT VAN FLENSBURG in *Godgeleerde bijdragen*, V (Amterdam 1831), blz. 822-823.

Optime iam observavit Grabmann, narratiunculam mutato stylo inveniri in Guil. de Tocco, *Vita S. Thomae*, cap. 52 (ed. D. PRÜMMER, *Fontes vitae S. Thomae*, Tolosae s.a. [1911], p. 125s. ; ed. *Acta Sanctorum*, c IX, n. 53 ; l. c., p. 673 s.), ubi tamen non narratur, S. Thomam scriptum suum de SS. Sacramento edidisse rogatu praelatorum et baronum, sed magistrorum Parisiensium « cum diversas rationes adinvenissent super quaestione de dimensionibus corporis Iesu Christi et de accidentibus existentibus sine subiecto in Sacramento ».

Porro eandem narratiunculam ex « Humberto », id est : ex Guil. de Tocco, iam anno 1663 ediderat P. DE ALVA ET ASTORGA *(Funiculi*, p. 473 ss. ; cf. *Radii solis*, col. 845 s.), usus eodem codice ms. Canonicorum S. Crucis Coloniensium, ex quo paullo post, anno 1668, eam vulgaverunt hagiographi Bollandiani (codex hodie deperditus est. Cf. PRÜMMER 61 s. ; F. PELSTER, *Zeitschrift für katholische Theologie*, XLIV, Innsbruck 1920, S. 247). Mutata dictione narratiuncula iterum invenitur in Bernardi Guidonis, *Vita S. Thomae*, cap. 24 (ed. apud BONINUM MOMBRITIUM, *Sanctuarium*, s. n. l. a. [Mediolani, ante an. 1480], II, fol.318a1-2. Cf. ap. HAIN *11544), et ex Bernardo Guidonis eam pro more suo ad verbum transscripsit S. Antoninus, *Summa historialis*, III, tit. 23, cap. 7, § 7 (ed. Lugduni 1512, fol.205b1-2).

Narratiunculam tandem etiam praebet Ludovicus Vallisoletanus († c. 1436) in suo quem confecit operum S. Thomae catalogo. Hic ex narratiunculae verbis fabricavit, et catalogo suo inseruit S. Thomae opusculum, quod a nullo veterum nominatur, scilicet : *Librum de sacramento Eucharistiae et dimensionibus et accidentibus sine subiecto existentibus ad rogatum magistrorum Parisiensium* (MANDONNET 82 ; cf. 110, n. 133. MICHELITSCH I.170,n.8, qui tamen hoc opusculum praetermittit in suo conspectu generali, S.177ff.).

Graviter dissentiunt auctores in assignando opusculo, ad quod narratiuncula pertinet.

Opinatus est Uccelli eam spectare ad *Articulos iterum remissos* (in ed. Vivès, t. XXXII. 832s.) ; quod tamen, nescio an recte, negat MANDONNET (p. 82, 139). GRABMANN vero (S.259ff.) narratiunculam pertinere asserit ad S. Thomae opusculum quodpiam de SS. Sacramento hodie deperditum. MANDONNET (p. 110, n. 133, ubi memorat Lud. Vallisoletanum) dubitans putat, eam revocandam esse ad opusculum 59, ad idem inquam opusculum, ad quod eam referunt libri typis editi, quos supra laudavimus. Frater tandem Didascalus, in nota censoria narratiunculae subnexa, asserit eam non spectare ad opusculum 59, sed agere « de quibusdam alijs operibus » S. Thomae. Quae tamen accuratius designare neglegit.

Facilis valde esset solutio, si demonstrari posset, opusculum 59 esse genuinum. Magni quidem faciendum est, hoc opusculum in nullo antiquorum catalogo laudari ; sed tam GRABMANN (S.94ff.), quam ipse MANDONNET (pag.102ss.) optime demonstrant, in codicibus manu scriptis inveniri posse scripta S. Doctoris vere genuina, quae tamen a nullo catalogo enumerantur. Vix tamen credere fas est, unquam probari posse, opusculum 59 esse genuinum, saltem in ea qua ad nos pervenit forma. Non solum namque in nullo codice sat vetusto invenitur, quod sciam, sed et praebet haud pauca, quae a doctrina S. Tho-

mae eiusque modo loquendi sunt aliena. Cf. de hisce OUDIN III. 343. DE RUBEIS, diss. XXI, c. 5 (ed. cit., p. CCLIII), qui provocat ad Joh. Ambr. Barbavaram, de quo et ipse loquitur (diss. XIX, c. 1, n. 3), et MANDONNET (p. 11s.), et praesertim GRABMANN (S. 17f.). De opusculi genuinitate dubitat etiam anonymus in codice MW (cf. Appendix II, sub 4 K)

Restat igitur, ut cum Grabmann, et quodammodo etiam cum fratre Didascalo ponamus, narrationem spectare ad S. Thomae opusculum hodie deperditum, quod erat de SS. Sacramento. Nisi velimus opinari, narrationem esse transfiguratam ex notissima illa legenda, quae narrat, Crucifixum Neapoli his verbis Sanctum Doctorem esse allocutum : « Bene scripsisti de me Thoma ». Sed et hoc non videtur admittendum.

Haud inutile fortasse erit memorare bina cl. Uccellii scripta, quae mihi sunt incomperta, sc. : *Un opusculo di S. Tommaso sugli accidenti eucaristici (La scienza e la fede*, XXXVII, 1859, p. 304-322) (cf. GRABMANN, S. 34, Anm. 1), et : *Intorno all'autografo di S. Tommaso d'Aquino sugli accidenti eucaristici (La scienza italiana* II, Bologna 1877, p. 137-158) (cf. MANDONNET, p. 82, note 2).

Non intelligo quid sibi velint ea, quae S in nota censoria, narrationi subnexa, pro more suo obscure dicit de B. Petro de Tarentasia. Nisi me omnia fallunt « iuxta titulum super coopertorium », codicis inquam, e quo S opusculum hausit, scriptum reperiebatur, Petrum de Tarentasia « post beatum Thomam fuisse » seu vixisse. Ardenter respondit S : « Dico ego hoc falsum esse », nam P. de Tarentasia et S. Thomas simul fuerunt ut magistri in capitulo generali Parisiensi anno 1255 celebrato. Sicut igitur — sic ratiocinari mihi videtur S — huius codicis amanuensis erravit in aestimanda aetate Petri de Tarentasia et S. Thomae, sic etiam « propter ea quae scribuntur hic » colligitur, eundem amanuensem errare potuisse, subnectendo huic opusculo 59 narrationem ad eiusdem calcem descriptam. Nam approbatio doctrinae S. Thomae, effata ab ipso Deo « videtur accidisse de quibusdam alijs operibus eius ».

Observes tamen, velim, ipsum S hic errare. Capitulum generale Parisiis habitum, cui S. Thomas et Petrus de Tarentasia simul aderant, non fuit celebratum anno 1255, nam eo anno capitulum congregabatur Mediolani. Anno insequenti 1256 capitulum quidem habebatur Parisiis, sed Petrus de Tarentasia tunc nondum erat magister. Adfuit uterque quidem capitulo anni 1259, sed hoc celebratum fuit non Parisiis sed Valencenis; et capitulo Parisiis 1264 habito non interfuit S. Thomas, in Italia tunc temporis degens coram Urbano IV. Restat igitur, ut capitulum generale Parisiense, quod ab S laudatur, notissimum fuerit capitulum anni 1269, ubi S. Thomas et B. Petrus de Tarentasia, una cum quinque aliis magistris, celebres pertractaverunt quaestiones *De secreto*, de quibus cf. QUETIF-ECHARD I. 280 s., 342 ; II. 650 ; GRABMANN 237f., praeprimis vero MANDONNET, p. 139-141 (hae quaestiones exstant etiam in cod. Utrecht [saec. XV.] 146, fol.389a-390b. Cf. *Catalogus codd. mss. bibliothecae Universitatis Rheno-Trajectinae*, II, 1909, p. 14). — Observa etiam Petrum de Tarentasia, si verum quaerimus, vere « post S. Thomam fuisse ». Obiit enim anno 1276, duobus post S. Thomam annis.

An ea quae « iuxta titulum super coopertorium » scripta inveniebantur cohaerebant forte cum opusculo 9 dubie genuino, quo S. Thomas dicitur sententiam tulisse de 108 propositionibus ex Petri de Tarentasia operibus desumptis, affirmare non ausim. Contra genuinitatem huius opusculi QUETIF-ECHARD (I. 333) et DE RUBEIS (Diss. XVIII, c. 1, n. 2) provocant quoque ad id quod Petrus de Tarentasia vixit post S. Thomam (cf. etiam MANDONNET 123).

60 [S 58]. Tractatus beati thome de humani-[fol.396b1-430b2] tate ihesu cristi domini nostri.

(Inc.) Cristus ihesus venit in hunc mundum peccatores saluos

61 [S 59]. Tractatus sancti thome de aquino [fol.431a1-466a2] de dilectione dei et proximi.

(Inc.) Magister quod est mandatum maximum

62 [S 60]. Incipit tractatus beati thome de [fol.466a2-470a2] aquino de diuinis moribus.

(Inc.) Perfecti estote sicut et pater vester celestis

Cf. ad opusculum 63.

63 [S 61]. Incipit tractatus beati thome de [fol.470a2-480b2] aquino de beatitudine.

(Inc.) Beati qui habitant in domo tua domine

Opuscula 62 et 63 verbotenus ab S exscripta esse ex editione quae prodiit Ultraiecti anno circiter 1473 supra (p. 17) explicatum fuit.

64 [S 62]. Incipit libellus sancti thome de [fol.480b2-489b2] aquino de modo confitendi et de puritate conscientie.

(Inc.) Quoniam fundamentum et ianua virtutum

Opuscula 64, 65, 66, 71 ex S typis transsumpta fuisse Antverpiae c.a. 1486, diximus supra p. 17-18.

Satis superque notum est, hoc opusculum etiam adscribi S. Bonaventurae, saepiusque inter eius opuscula fuisse vulgatum. Est tamen Matthaei de Cracovia, ep. Wormatiensis († 1410). Cf. *S. Bonaventurae opera omnia*, VIII (1898), p. CXI, n. 12 ; X (1902), p. 24.

65 [S 63]. Incipit summa compilata per glo-[fol.489b2-496b1] riosum doctorem thomam de aquino de officio sacerdotis.

(Inc.) Quia sacerdotis officium circa tria principaliter

Cf. notata ad op. 64.

66 [S 64]. Hic incipit expositio misse quid [fol.496b1-499a1] significant illa que fiunt ibi edita a fratre thoma de aquino (PR *om.* edita a fratre thoma de aq.).

(Inc.). In virtute sancte crucis et sacramenti altaris

Textus quem praebet S postea typis transsumptus fuit in ed. Antverpiensi (cf. ad op. 64).

E verbis « edita a fratre thoma », quae etiam habentur in iemmate opusculi 53, patet, opusculum transscriptum fuisse e codice satis antiquo (cf. infra, p. 63).

Hoc opusculum spurium saepius vulgatum fuit sub nomine Hugonis de S. Victore, ex. gr. apud M. Hittorp, *De divinis ecclesiae officiis* (Parisiis 1624), col. 1423-34, et in opere *Patrologia latina*, ed. J. P. MIGNE, t. CLXXVII (Parisiis 1854), col. 455-470. Auctorem tamen videtur habere Richardum Praemonstratensem, abbatem de Wedinghausen in dioecesi Coloniensi, qui floruit circa annum 1180. Cf. B. HAURÉAU, *Les œuvres de Hugues de Saint-Victor* (Paris 1886), p. 205 s. OUDIN II. 1158. A. FRANZ, *Die Messe im deutschen Mittelalter* (Freiburg 1902), S. 418-420.

Forma in qua frater Didascalus opusculum vulgavit manca est et vitiata valde.

67 [S 65]. Incipit epistola sancti thome in qua re-[fol.499a1-b1] spondet cuidam petenti informari de emptione et venditione ad tempus (PR *add.* et est absque dubio sancti thome).

(Inc.) Karissimo in cristo fratri iacobo viterbiensi

Hoc opusculum certo esse genuinum iam diserte affirmaverat frater Didascalus in suo Prologo (n. 6). Quando annotationem digessit, quam posuit post opusculum 52, sine dubio nondum invenerat opusculum 67, quum ibi nil de eo loquatur.

68 [S 66]. Epistola exhortatoria sancti thome ad [fol.499b1-b2] quemdam in qua proponit ydoneum modum salubriter acquirendi scientiam siue humanam siue diuinam (In cod. MW, fol. 146a-b : Epistola sancti thome de aquino ordinis predicatorum Quomodo est studendum).

(Inc.) Quia quesiuisti a me in cristo michi kariss. iohannes

(Des.) ad id attingere poteris quod affectas.

Sic desinunt PR. Sed ab S statim adiungitur (et etiam in cod. MW post ¶ signum) :

« Sunt enim quidam mali qui de omnibus male iudicant Dicunt enim si quis studet fantasticus est. si vacat humilitati ypocrita est. si recreationi gulosus est. si pacientie timidus est. si iusticie impatiens est si simplicitati fatuus est. si prudentie maliciosus est. si maturitati flegmaticus est. si societati secularis est. si silentio et paci simulator (MW dissimulator) est. si aliorum correctioni (MW correptioni) presum-[499b2]tuosus est. si instat vigilijs et orationibus indiscretus est. si predicationi et aliorum saluti appetitor est laudis. si desistit negligens et remissus est. si habeat gratiam hominum adulator est. si adulari renuit seuus (MW superbus) est Sed vide quid dicat bernhardus super cantica. si preterea (MW dicat barnardus. Si propterea) aliquos actus deprehendis excusa intentionem et si (MW si autem) non potes puta ignorantiam puta surreptionem puta casum Et si certum tibi fuerit suade tibi et dicito. vehemens fuit ista (MW illa) temptatio. Quid de

me fecisset si in me accepisset potestatem Hec ergo pro tuo profectu studij et vita (MW profecto studij et uite) dixerim Tua existit (MW erit) ea sectari vale et nisibus totis virtutibus incumbe (MW *add.* Amen).

Verba S. Bernardi laudata exstant in *Sermone XL in Cantica*, n. 5 (ed. Migne, *Patrologia latina*, t. CLXXXIII, Parisiis 1854, col. 984).

PR iusto iure omittunt additamentum, quod ex S transscripsimus. Acrem enim et quasi irritatum manifestat animum, qui S. Thomam minime sapit. Caeterum neque prior Epistolae pars haberi potest certo genuina. Vide quae sapienter disserit GRABMANN, S.236f.

In codice ms. Utrecht 205 (saec.XV), fol.182b-183a exstat Epistola sub hac inscriptione : *Epistola beati thome de aquino cuidam fratri missa*. Ibidem tamen desinit :

« ... (quod affectas). Hanc siquidem tabularem epistolam omnique prorsus commendacione dignam cohabitatricem in cella hortor et obsecro teneas. vt cum ea sepe confabulans de virtute ire possis et proficere in virtutem in vitam eternam. Amen ».

S epistolam sine dubio transscripsit ex volumine, anno circiter 1472 Coloniae vulgato (VK. 1176), quod supra memoravimus (p. 16).

Hanc epistolam celebrem fuisse saeculo XV. exeunte, saltem in Germania, manifestum est ex eo, quod typis vulgata fuit in libris scholarum usui destinatis. In opusculo : *Tractatus de modo studendi* inscribitur « Epistola beati Thome de salubri modo studendi » et iisdem desinit verbis ac in S (cf. ed. [Magdeburg, S. Koch, c. 1490] 4°, descripta in *Nachträge zu Hain's Repertorium bibliographicum*, herausgegeben von der Kommission für den Gesamtkatalog der Wiegendrucke. Leipzig 1910, n. 349. Idem prorsus in ed. [Magdeburg, M. Brandis, c. 1495] 4°, descripta in *Nachträge*, n. 350).

In opusculo *Regimen scholarium* inscribitur : « Sequitur Epistola beati Thome de aquino de modo adipiscendi scientiam », et desinit iisdem fere verbis ac in cod. Utrecht 205, nempe : « Epistolam hanc salutarem de modo studendi cenobitam (!) in cellula te habere hortor vt cum ea iugiter confabularis. sicque de virtute possumus proficere in virtutem vsque in eternum » (cf. ed. [Leipzig, M. Landsberg, c. 1488] 4° ; *Nachträge* 297. Idem in altera editione s. n. l. et. a. 4°, quae memoratur ab HAIN *13764).

69 [S 67]. Tractatus seu expositio sancti thome [fol.499b2-505a2] super boecio de ebdomadibus.

(Inc.) Precurre prior in domum tuam et illuc aduocate

S textum Boethii in multas dividit particulas, cuique particulae subnectens commentarium sub inscriptionibus « textus » et « glosa » alternantibus. PR contra ex Boethii opusculo quater vel quinquies dant partem satis prolixam eique S. Thomae commentarium adiungunt.

70 [S 68]. Tractatus sancti thome super boecio [fol.505a2-534b2] de trinitate (MPR Incipiunt eiusdem preclare questiones super librum Boetij de trinitate).

(Inc.) Ab inicio natiuitatis inuestigabo et ponam in lucem

S post S. Thomae Prologum (*Des.* produxit in lucem) totum Boethii omittit Procœmium (fol.505b2), quod in PR exscribitur integrum.

71 [S 69]. Incipit libellus sancti Thome de [fol. 534b2-539a1] aquino de vicijs et virtutibus numero quaternario procedens.

(Inc.) Quatuor sunt virtutum species scilicet prudentia

Huius opusculi textum exscriptum esse ex editione typis vulgata (VK. 1140) exposuimus supra (p. 16). Textus ex S vicissim Antverpiae postea typis fuit transsumptus (cf. ad opusculum 64).

72 [S 70]. Incipit tabula concordantiarum sancti [fol 539a1-a2] thome in quibus concordat seipsum in passibus contrarijs.

Post hanc tabulam sequitur ipsum opusculum :

Tractatus sancti thome de retractationibus (PR [fol. 539a2-544a2] de concordantijs) in quo concordat seipsum in passibus apparenter contrarijs.

(Inc.) Pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia

S *ad calcem opusculi addit* :

« Explicit tractatus beati thome de retractationibus in quo seipsum declarat in dictis suis vbi videtur sibi contradicere etcetera ».

PR : « Explicit opusculum septuagesimum secundum (P1 et vltimum) sancti thome de aquino de concordantijs dictorum suorum in quibus aliquibus videbatur ipsum seipsi (!) contradicere. licet ita non sit recte intelligenti (R intelligere) eius mellifluam et profundissimam doctrinam ».

Opusculum non est S. Thomae de Aquino, sed fratris Thomae de Sutton, O. Praed. (c. 1298), de quo cf. MANDONNET 156; GRABMANN 110, 135, 173. — Cf. Addendum, supra, p. 27.

73 [ExP2R. Deest in SP1]. [De vsuris in communi et de vsurarum contractibus].

(Inc.) Omnis homo a natura non degenerans

Primo editum fuit in P2, qui in libri fronte opusculum emptoribus commendat tanquam « Tractatum celeberrimum de vsuris nusquam alias impressum ». Opusculum tamen iam ante annum 1498 intextum fuit ab Ambrosio de Alemania in *Tabula* Petri de Bergomo a se aucta (cf. Appendix III, 4 E).

Auctor est Aegidius de Lessinia, O. Praed. (c.1278). QUETIF-ECHARD I. 342, 371 ; MANDONNET 152.

Lectiones varias quicumque attente aspexit, facile agnoscet — quod iam diximus — textum opusculorum S. Thomae per saecula vulgatum non deberi editoribus Romanis, puta Vincentio Giustiniani et Thomae Manriquez, nec Antonio Pizzamano patricio Veneto, sed duobus Fratribus Praedicatoribus saeculi XV., Paulo inquam Soncinati Italo, et fratri Didascalo, anonymo Gallo. Quorum maior sine dubio fuit « inutilis didascalus », qui, licet tempore

prior, opuscula vulgavit maiori numero, diligentiorique praesertim cura.

Penitior disquisitio de utriusque labore, quam a doctissimis editoribus Leonianis exspectamus, docebit, uter frater Praedicator melioris notae usus est codicibus. Interea suspicari licet, Pizzamanum nostrum, praeferendo Soncinatem Didascalo, plus ostendisse calliditatis quam eruditionis. In Italia fratris Didascali opuscula 70 (68) certo vix nota erant. Soncinatis contra opuscula 51 vix extra Italiam. Sic iis, qui Didascali noverunt librum, Pizzamanus videri potuit propria industria emendasse opuscula 51. Illis vero qui Soncinatis noverunt laborem anecdota videbatur addidisse opuscula 17.

Optimo iure affirmat Grabmann, in editionibus opusculorum S. Thomae typis excusis periisse connexionem cum medii aevi codicibus manu scriptis [1]. Sed, uti iam perhibuimus (p. 30), Pizzamani praesertim vitio hoc factum est. Didascalus noster in haud paucis lemmatibus antiquae traditionis vestigia servaverat. Plerumque quidem, uti vehementer suspicari licet, ipse Didascalus opusculorum inscriptionibus S. Thomae nomen inseruit, vel « fratrem » Thomam mutavit in « sanctum »; quo misere delevit vestigia codicum ante S. Thomae canonizationem descriptorum [2]. Felici tamen eventu factum est, ut tale negotium non eadem semper prosecutus sit pertinacia. Quod quae sequitur tabella ostendit :

(Opusculum) beati thome	: 4, 18, 29, 31, 33, 54, 59, 60.
beati thome de aquino	: 19, 62, 63. [50, 52, 55, 60-70, 72.
sancti thome	: 2, 9-13, 17, 20, 25-27, 30, 34, 35, 41-44, 46-
sancti thome de aquino	: 1, 3, 7, 8, 22, 24, 28, 36, 38, 40, 51, 58,
s. thome de aquino ord. praed.	: 15, 45. [61, 64, 71.
sancti doctoris	: 37.
eiusdem doctoris	: 32, 39.
per gloriosum doct. th. de aq.	: 65.
thomas	: 21.
editum a FRATRE thoma de aq.	: 53, 66.
[absque S. Thomae nomine]	: 5, 6, 14, 16, 23.

Ex hac tabella eruitur, Didascalum nostrum suo plerumque marte inseruisse formulam : « beati (sancti) thome (de aquino) ». Hanc enim in 56 ex 70 lemmatibus vidimus adscriptam. Nonnulla immo vestigia indicant, S. Thomae nomen, deficiente in archetypis spatio, a Didascalo additum fuisse compendiis, quae nulla necessitate — ut eis mos erat — eadem forma transscripserunt typothetae, sc. :

1. GRABMANN 172.

2. De praeclaro hoc subsidio ad diiudicandam codicum aetatem cf. GRABMANN 97-98 et passim.

scī thome (2), scī thoē de aq'no (8), beati thoē de aq̄no (19), btī tho. (33), f. thome (35), f. tho. (47), sancti tho. (68, 69). Aliae formulae, ut sunt : « a sancto doctore » vel « per gloriosum doctorem » (etc.) videntur casu irrepsisse.

Singulares tamen sunt binae illae formulae : « edita(us) a FRATRE thoma de aquino », quas opusculis 53 : *De intellectu et intelligibili*, et 66 : *Expositio misse* vidimus praefixas. Haec opuscula inter spuria indubie recensenda sunt, sed utrumque iam saeculo XIV. ineunte in codicibus manu scriptis inveniebatur, ita ut « fratri » thome facile adscribi potuerint. Opusculum enim *De intellectu et intelligibili*, etsi a nullo veterum vel recentiorum nominetur, iam invenitur inter S. Thomae opuscula in celebri codice Burdegalensi 131 (saec. XIV), qui scriptus quidem fuit post S. Thomae canonizationem, sed cui multi insunt tractatus ex antiquioribus codicibus transsumpti [1]. Posterius opusculum : *Expositio misse*, saeculo XII. ortum est in Germania, ut putant, et auctorem videtur habere Richardum abbatem Praemonstratensem [2].

Latius adhuc de formulis, quibus tractatus in *Summa opusculorum* inscribuntur, disserendum erit, etsi cum periculo taedii.

Pro designandis opusculis Didascalus noster, hac in re discedens a Petro de Bergomo, potissimum utitur verbo « tractatus », nonnullisque inscriptionibus praeponit « Incipit (Hic incipit, Incipiunt) ». Petrum de Bergomo contra imitatur, tribuendo S. Thomae denominationem honorificam « Doctor sanctus », inde a saeculo XIV. usitatam. Simul tamen eundem nonnunquam ornat denominatione nova, saeculo mediante XV. exorta : « Doctor Angelicus » [3]. Alibi alia utitur denominatione, quod quae sequitur demonstrat tabella :

sanctus doctor	: fol. 2*a1, 2*b2, 3*b1 ; Prol. 6 ; op. 37, post 52,
angelicus doctor	: fol. 4*a1 ; Prol. 1, 5 ; post 15. [55, post 56.
doctor noster	: Prol. 1.
doctor thomas	: Prol. 3.
doctor	: Prol. 2, 3.
sanctus thomas	: fol. 2*b1 ; Prol. 6 ; post 52, 55.
beatus thomas	: Prol. 3 ; post 59.

1. Cf. de hoc codice GRABMANN 125-132. Vide etiam infra Appendicem I (Tabulam collativam). Opusculum in codice (fol. 129a) dicitur compositum « ab eodem », id est : « fratre » Thoma. De opusculi genuinitate GRABMANN, 7 ; cf. supra, p. 27 Add.

2. Cf. supra, ad opusculum 66.

3. De his aliisque denominationibus cf. F. EHRLE, *Die Ehrentitel der scholastischen Lehrer des Mittelalters (Sitzungsberichte der Bayerischen Akademie der Wissenschaften.* Philosophisch-philologische und historische Klasse, Abh. 9), München, 1919, S. 7, 10, 18, 39, 49, 51. P. MANDONNET, *Les titres doctoraux de Saint Thomas d'Aquin (Revue Thomiste*, XVII, Fribourg 1909), p. 597-608. — Cf. etiam infra, pag. 64, not. 1.

tractatus : 1, 2, 4-8, 13-15, 17, 18, 20-22, 25-38, 41-55, 58, 63, 69, 70, 72.
incipi(un)t, : 3, 5, 17-18, 21, 22, 28, 30-31, 33, 36-7, 39, 40, 53, 62-7, 71-2.

Attendas etiam, velim, ad calcem opusculorum 43 et 44, atque initio opusculi 45 inveniri formulas, quibus medii aevi amanuenses scriptiones incipere vel terminare solebant, uti sunt in casu : « Explicit feliciter » (43), « Explicit tractatus de tempore » (44), « Tractatus de pluralitate formarum... incipit feliciter » (45). Nota quoque, fratrem Didascalum nonnullibi declinare ab ortographiae legibus ordinarie usitatis scribendo «petrus de bargomo » (Prol. 5, 6 ; op. 52), « iocunditate » (Prol. 1), « bisontinum » (12), et loquendo de numeris « merginalibus », de quibus non immutandis legentes voluit habere « auisatos » (Prol. 7). Quae omnia, ni fallor, Galliam olent, vel illas saltem Europae regiones, quae inter septentriones spectant et occasum solis.

Semper etiam id studet, ut formis ortographicis : paciencia, eciam, predicacio, pocius, etc., quae ea aetate obsolescere coeperunt, substituat : patientia, etiam, predicatio, potius. Quae minutatim observari possunt in opusculis 62-63, quorum archetypon deteximus. In talibus tamen Didascalus noster nondum erat versatus totus. Saepe namque eum effugiunt : malicia, paciens, iusticia, (fol. 467a1-2), immo pacientia (499b1). Alibi etiam ymitari mutat in imitari (fol. 470a1) ; sed eodem fere loco verba : ymaginem, ymmo, ymitandus relinquit intacta.

Nec cuiquam videar, instando minutissimis, arcem facere ex cloaca.

Ex formula namque « Explicit feliciter », et ex aliis indiciis levissimis, libros invenimus typis excusos, e quibus nonnulla opuscula a fratre Didascalo sunt exscripta, puta : opuscula 21, 43, 62, 63, 68, 71, forte 29, 31-33, 37, 39, 40-43, 55/56 (cf. supra, p. 16-19).

Alii fortasse ex eiusmodi indiciis recognoscent codices manu scriptos a fratre Didascalo adhibitos, et hac via nomen sedemque fratris Didascali invenientes, *Summae opusculorum* originem immo genesim, Fratrumque Praedicatorum coetum vel conventum, qui in pretiosum hoc volumen typis excudendum sumptos impendit, manifestare poterunt. Ex usu denominationum « doctor sanctus » et « doctor angelicus », quas SO promiscue adhibet, harum denominationum historia, a viris doctissimis praecipua iam explorata diligentia, paullo latius illustratur [1].

De illis tandem opusculis in quibus Didascalus semper adhibet

1. Denominationes antiquitus usitatas : « doctor communis » et « doctor eximius » (cf. MANDONNET, *Les titres doctoraux*, p. 601-05) ab SO nullibi adhibentur. Usitatior ei

formas ortographicas : iustitia, patientia, etiam, potius, etc., intelligi poterit, illa fuisse transsumpta e codicibus manu scriptis aetatis recentioris.

Superest tandem, ut inquiramus, an quis veterum notitiam habuerit de *Summa opusculorum*, et iudicia forte praebuerit de libri origine.

Pizzamanum putasse, quod liber vulgatus fuit in Germania, iam supra monuimus ad opusculum mancum 54 : *De quo est et quod est*. Omnibus aliis locis de eo callide tacet.

Johannes Trithemius († 1516) in praeclarissimo suo libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, quem anno 1494 primo vulgavit, S. Thomae opuscula 67, additis eorum initiis, enumerat, non una quidem serie, sed aliis S. Thomae operibus passim intermixtis. Eundem globatim ordinem servat ac SO sed ipsum librum non vidit. Certum namque est, eum adhibuisse primam Pizzamani editionem, anno 1490 vulgatam. Quod indubie patet ex inscriptione erronea opusculi 43 : *De « principijs » anime*, quae apud unum Pizzamanum invenitur [1]. SO recte legit : *De potentijs anime*. Advertendum est, Trithemium opusculis nullum prorsus addidisse de eorum genuinitate iudicium, de quo tamen in Pizzamani Prologo et post opusculum 52 (in hac una editione) edoceri potuisset.

Antonio Possevino, S. I., cuius *Apparatus sacer* medius est inter medii aevi nomenclatores aetatisque recentioris, prorsus ignotae erant tum Summa opusculorum, tum Pizzamani editiones. Quae de S. Thomae opusculis refert omni ex parte transsumpsit ex editione Romana, sed neglegenter valde. Affirmat enim 43 ex opusculis 73 esse genuina. Sed paullo post enumerat tantum 40, quae « legitimi esse [S. Thomae] foetus existimantur », inserens duo opuscula, quae

---

est « doctor sanctus », quam et adhibet Petrus de Bergomo (cf. p. 82-84. — De hac denominatione, quae deest apud Mandonnet, vide EHRLE, 39, 49, 51). Quater SO utitur denominatione « doctor angelicus », puta : in Prologo, n. 1 et n. 5 (qui a Pizzamano omittitur), initio tabulae (fol.4*a1. Transsumitur etiam a Pizzamano), et post opusculum 15 (ubi Pizzamanus studio substituit « sanctus doctor »). A Lamberto de Monte, copulatista Coloniensi, in libro : *Compilatio commentaria in VIII ll. physicorum Aristotelis* (Coloniae, H. Quentell, 8 Sept. 1498. — HAIN *11581 ; VK. 731), fol.1a, S. Thomas vocatur (sanctus ac) « cherubicus doctor ». Haec denominatio nec a Mandonnet laudatur neque ab Ehrle.

1. Cf. Joh. Trithemius, *Liber de scriptoribus ecclesiasticis*. Basileae, apud Joh. Amerbach, 1494 [post diem 28 Aug.], fol.70a (HAIN *15613 ; BMC. III. 755). Opuscula hoc ordine enumerat (ubi ponitur || signum alia opera intermiscentur) : || 1-5 7, 8, 6, 9-20, 22, 21, 23, 24 || 58, 60-66, 71, 67 || 70, 69 || 25-45, 47, 49-52, 55/56, 53, 72. Omittit opusculum 46 (est idem ac 32), op. 48 (a Pizzamano tunc nondum inventum), 54 (quod Pizzamanus conqueritur valde corruptum), 59 (per errorem omissum, quia opusculum 58, proxime praecedens, quod etiam est de SS. Sacramento, in summis foliis iisdem fere inscribitur verbis), 68 (quod Trithemium fugit, quia brevissimum et ad calcem folii positum, ubi vix ab opusculo praecedenti dignoscitur). De Trithemii opusculorum elencho cf. GRABMANN 26, 172.

declaraverat spuria, et omittens quinque quae affirmaverat genuina [1].

Unum Petrum de Alva et Astorga inveni, qui *Summam opusculorum* vidit, eaque usus est, omnino tamen mittens eiusdem originem. Libri Prologum bis edidit fere integrum ; sed pro perpetua sua in Fratres Praedicatores invidia, qua immensam suam codicum manu scriptorum et librorum scientiam enervat et perturbat, mentisque aciem obtundit et hebetat, etiam Prologum fratris Didascali stolide commentatus est. De hoc viro, qui, si aemulationem habuisset secundum scientiam, inter sui aevi litterate peritos dux fuisset et princeps, acriter sed iuste iudicat Casimirus Oudin, e Praemonstratensi apostata, his verbis : « Probat thesim suam [contra genuinitatem Partis III Summae theologicae] modicissimis coniecturis, litterato homine indignis... Utitur praeterea negativis argumentis, nihil omnino concludentibus, itemque ex MSS. Codicibus anonymis, quos omnes *Originalia* novitius appellat semper. Vidisse me hominem recolo olim, dum junior essem, varias percurrentem Bibliothecas, sed festinanter ac Minoritana velitatione [2] : unde nihil mihi mirum, quod tam modicam ex tot locis inspectis eruditionem hauserit » [3].

Frater Didascalus in Prologo declaraverat, opuscula 1-52, enumerata a Petro de Bergomo, a se aestimari genuina. Pergit, se hisce opusculis « a liij et deinceps » (P. de Alva semper legit « alii et deinceps » !) alia superaddidisse opuscula 18, quae « in fere omnibus et sine fere codicibus » invenerat S. Thomae adscripta. Sed de quattuor tantum ex his octodecim affirmare audet, ea esse vere genuina. « Alia, inquit, sub dubio relinquo nec quod ea sanctus composuit doctor assero ».

Prudens hoc iudicium a Petro de Alva eo detorquetur, quasi frater Didascalus asseveret, se quattuor tantum ex omnibus opusculis 70 aestimare genuina. Et gloriabundus interrogat : « Quomodo alia sexaginta sex Opuscula debemus admittere, et recipere indubitata fide ? [4] »

---

1. Ant. POSSEVINUS, S. I. *Apparatus sacer*, ed. postrema, tom. II (Coloniae 1608), p. 479, 481-482. Spuria declarat (p. 479) opuscula 9, 32, 42-56, 59-68, 71-73. Omittit igitur opuscula 38 et 41 (opusculum 38 in editione Veneta anni 1587 litteris maioribus fuit excusum, uti supra, pag. 38, monuimus. Hac editione fortasse usus est Possevinus, ex hoc omittens op. 38 inter spuria contra iudicium — falsum tamen — editorum Romanorum). Alibi vero (p.481s.) opuscula 1-39, non exceptis opusculis 9 et 32, enumerat inter genuina, addito sub n. 40 opusculo, spurio tamen, *De eruditione principum*, quod a Romanis primo fuit vulgatum. De Possevini labore cf. GRABMANN, S. 27, maiorem debito de eo habens opinionem.

2. Sit venia verbo ! [fr. B.K., o. f. m.].

3. C. OUDIN, *Commentarius de scriptoribus ecclesiae* III (Lipsiae 1722), col. 355.

4. Cf. *Funiculi nodi*, ed. 2ª, (Bruxellis 1663), p. 26s., 51. Idem fere in *Radii solis*

Post Petrum de Alva et Astorga nullus, quod sciam, auctor *Summam opusculorum* laudat, multoque minus tractat. Ne praecipuus quidem Petri de Alva adversarius, Franciscus Janssens Elinga, O. Praed. libri notitiam videtur habuisse. Fateor tamen me duas tantum vidisse ex quinque vel sex quas vulgavit defensionibus [1].

Opus laboriosum sed gratum valde concludentes, breviter quae tractavimus, comprehendere fas sit.

Quae in codicibus manu scriptis saeculo XIII/XIV. exaratis inveniebantur S. Thomae opuscula, ab antiquis diversa aetate diversis praesertim numero et censura enumerabantur. Crescente tempore crevit opusculorum tum genuinorum tum spuriorum numerus. Si tamen excipias « unum volumen » in quo, ut monet Tolomeus de Lucca anno circiter 1315, « sicut epistole augustini » opuscula S. Thomae « reponuntur », nemo, quantum scimus, post Tolomei aetatem hunc colligendi opusculorum omnium laborem meditate quasi auctoritatem habens persecutus est.

Prodiit tandem anno 1473 praeclarissima Petri de Bergomo Tabula super omnia S. Thomae opera, in qua complexus est opuscula S. Doctoris 52, quin tamen integra unoque volumine eruditis ea exhibuerit. Petri de Bergomo opus duos deinde excitavit fratres Praedicatores, ut colligendo opuscula a Petro de Bergomo enumerata operam darent, sicque necessarium subministrarent praeclarissimae Tabulae complementum.

Horum fratrum Praedicatorum tempore prior, et ingenio laboreque omnino praestantior fuit anonymus quidam « inutilis didascalus », origine certe Gallus, qui anno circiter 1485 volumen edidit splendidissimum, quo non solum opuscula eo ordine quo a Petro de Bergomo erant enumerata comprehendebantur, sed et alia opuscula 18, quae propria industria conquisivit. Sed quattuor tantum ex his opusculis 18 certo aestimabat genuina ipse.

Paullo post alter frater Praedicator, Paulus Soncinas, Mediolani anno 1488 edidit S. Thomae opuscula 51, labore tamen curaque multo

---

(Lovanii 1666), col. 848 s., ubi tamen opuscula a fratre Didascalo edita per errorem dicuntur esse 73 numero. P. de Alva exemplar *Summae opusculorum* invenit Coloniae apud Patres Conventuales, idque anno, ut videtur, circiter 1662. In opere enim *Nodus indissolubilis* (Bruxellis 1661), pag. 18-22, eam non memorat (hunc librum, etsi praeferat annum 1661, tamen adhuc anno 1662 sub praelo sudasse, perhibet JANSSENS ELINGA, pag. 2. Cf. notam quae sequitur).

1. Quas enumerant QUETIF-ECHARD, II. 789. B. de JONGHE, O. P., *Belgium Dominicanum* (Bruxellis 1719), p. 186 s. Vidi tantummodo haec parva volumina : *Authoritas Divi Thomae... nodo indissolubili per... P. de Alva... nuper revincta, nunc vero soluta* (Gandavi 1664). 8°. *Certissimum quid... contra certum quid certissimae falsitatis adversum P. F. Petrum de Alva et Astorga...* (Lovanii, s. a.). 8°. Est appendix opusculi praecedentis.

minori digesta, vixque ulla habita ratione Tabulae, quam confecerat Petrus de Bergomo.

Horum fratrum Praedicatorum usurpans labores, Antonius Pizzamanus neglegenter valde anno 1490 Venetiis edidit opuscula S. Thomae, eaque parum aucta denuo vulgavit Venetiis annis 1498 et 1508. Quem Pizzamani laborem adversa fortuna complexi, editores Romani anno 1571 opusculorum textum condiderunt vulgatum, qui multoties iteratus ad nostra usque tempora a plerisque usitatur.

In hoc tamen editores Romani praedecessoribus antecellunt, quod pro diiudicanda opusculorum genuinitate non Petri de Bergomo auctoritati confidebant, sed S. Antonini, cuius iudicium universe spectatum verius est.

APPENDICES

APPENDIX I

TABULA COLLATIVA OPUSCULORUM

Quae sequitur Appendix tabulam exhibet collativam opusculorum S. Thomae, quae gravioribus insunt codicibus manu scriptis, editionibusque typis vulgatis. Praeter inscriptiones opusculorum 52, quas praebet Petrus de Bergomo, addidimus et catalogos Bartholomaei de Capua, Bernardi Guidonis et S. Antonini, ut inde manifestior fiat connexio inter traditiones manu scriptam et typis exaratam.

AV1. = Cod. 251 (saec. XIII) bibliothecae municipalis Avenionensis (ex GRABMANN 116-121).

AV2. = Cod. 253 (saec. XIV) eiusdem bibliothecae (ex GRABMANN 121-125).

BRG. = Cod. 491 (saec. XIV) bibliothecae municipalis Brugensis (ex GRABMANN 109-116).

OXF. = Cod. 225 (saec. XIV) collegii Corporis Christi Oxoniensis (ex GRABMANN 139-146).

PRC. = Cod. (an. 1282) abbatiae Parcensis, O. Praem., prope Lovanium, hodie deperditus. Quem vidit Petrus de Alva et Astorga († 1667) « coniunctum » cum codice « eiusdem characteris », cui inerat Commentarius S. Thomae in III. Sententiarum *(Radii solis*, Lovanii 1666, col. 903, 845). Ad calcem Commentarii legebatur : *Hic liber consummatus est anno Domini 1282. in Vigilia Sancti Andraei Apostoli : quem scribi fecit Frater Willielmus de Lilbecke, ad suam et communem Fratrum Ecclesiae de Parco utilitatem. Quicumque legerit in eo, oret pro Fratre praedicto* (P. DE ALVA, col. 903. Eadem subscriptio, paucis admodum varia, habetur apud F. JANSSENS ELINGA, p. 132, de quo mox). Codicis pars cui insunt opuscula describitur etiam apud Ant. SANDERUM, *Bibliotheca Belgica manuscripta*, II (Insulis 1644 [alibi 1643]), p. 170, in catalogo Parcensi, anno 1635/36 digesto.

P. de Alva (col. 847) codici affirmat inesse opuscula 26 ; alibi tamen ea nominatim enumerans (col. 903) opuscula distinguit 27. Est error. Legit enim : 19. *Liber ad Fratrem Gerardum Rizvatium.* 20. *Liber de quibusdam Articulis.* Quae Sanderus recte exscribit : *Liber ad Fratrem Gerardum Bisontinum de quibusdam Articulis* (cf. op. 12).

Opusculum 34 : *De occultis operibus nature*, in codice vocatur :

De impressione corporum celestium. Post lemma opusculi 69 : *Liber de Hebdomadibus,* apud Sanderum additur : « Expōō ludi » ; quod sine dubio est annotatio ex margine transsumpta. Initio namque opusculi scribitur quaedam ludi expositio.

Autumat P. de Alva, quod opuscula codicis Parcensis « postea fuerunt edita a Lovaniensibus in 4 » (col. 847). Nullum tamen huius editionis repperi vestigium, vehementerque suspicor, P. de Alvam, ut saepius fit, errasse. Prodierunt utique illa aetate duae editiones, quarum una habet opuscula 24 (Lovanii, apud H. Wellaeum, 1562; duo tomi, 8°), altera 28 (Duaci, apud P. Borremans, 1609 ; duo tomi, 8°), sed neutra cum codice Parcensi concordat. Editio enim Lovaniensis opuscula offert hoc ordine :(Tom. I) 5-8, 4, 67, 73, 71, 26, 64, 22, 12, 60 ; (Tom. II) 57, 65, 66, 18, 17, 1 (est ultima tantum pars, de primatu Petri), 2, 21, 68, 62, 3. — Ed. Duacena habet : (Tom. I) 1-8, 10, 11 ; (Tom II), 12, 13, 17-19, 21-28, 34, 35, 43, et in Appendice : 57, 58. Sex igitur codex Parcensis praebet opuscula (15, 16, 30, 31, 33, 69) quae in neutra editione inveniuntur. — Memorat etiam P. de Alva (*Nodus indissolubilis,* p. 688 ; item *Funiculi nodi,* p. 584), opuscula S. Thomae vulgata « Lovanii 1561. in 8. duobus tomis ». Sine dubio 1561 est error pro 1562.

Codex ille Parcensis etiam laudatur a Petri de Alva adversario, Francisco Janssens Elinga, O. Praed., qui profert sententiam quamdam de B. Mariae Virginis conceptione, extractam e commentario super l. III Sententiarum, et authentico instrumento auctorizatam a J. van Dormael, notario publico. Cf. F. Janssens Elinga, *Authoritas Divi Thomae... per... P. de Alva... nuper revincta, nunc vero soluta* (Gandavi 1664), p. 132. — Codex hodie non amplius exstat in abbatia Parcensi, uti benigne mecum communicavit R. D. Johannes Versteylen, Can. Ord. Praem., bibliothecarius. Quorsum codex evaserit nescitur.

VAT. = Cod. lat. 807 (saec. XIV) bibliothecae Apostolicae Vaticanae. Descripsit cl. A. Pelzer (ex Grabmann 146-160).

CAM. = Cod. 35 (saec. XIV) collegii Corporis Christi Cantabrigiensis. Describitur hic codex a M. R. James, *A descriptive catalogue of the manuscripts in the library of Corpus Christi College* (Cambridge 1912), n. 35. E medio codice avulsus est fasciculus, sed ex duobus indicibus, saeculo XIV. et XIV/XV. exaratis, patet, inibi descriptos extitisse opuscula 20, 12, 34, 26, 33. Codici itaque inerant opuscula 31 numero, hoc ordine : 3, 19, 18, 17, 25, 16, 23/24, 5, 15, 31, 27, 2, 22, *Super Dionysium de diuinis nominibus,* 69, 70 [20, 12, 34, 26, 33] 35, 1, 11 ?, 21, 10, 4 ?, 8, 7, 6. Ultimo folio erasa fuit inscriptio, quae his verbis scribebatur : « *Iste liber est conuentus (communitatis ?)...* [caetera legi nullimode possunt] » . Plura de hoc codice benigne mecum communicavit cl. G. Butler, librarius Collegii. Memoratur codex a Grabmann 185.

E tabula collativa patet, codicem Cantabrigiensem eadem praebere opuscula ac cod. S. Genovevae, qui statim sequitur. Addit tamen cod. S. Genovevae opuscula 14, 28, 29, 30, 36, 39, 41, 42. — Cod. Cantabrigiensis collegii Corporis Christi forte idem est ac codex Cantabrigiensis S. Benedicti, vol. 233, quem describit P. de Alva,

Radii solis, col. 847s. Eadem prorsus hic praebet opuscula eodemque ordine. Sapienter P. de Alva post descriptum codicem subiungit : « Cum his concordant alia Originalia ».

GEN. = Cod. 238 (saec. XIII/XIV) bibliothecae S. Genovevae Parisiensis (ex GRABMANN 132-139). Cf. quae diximus ad cod. CAM.

BOR. = Cod. 131 (saec. XIV) bibliothecae municipalis Burdegalensis (ex GRABMANN 125-132).

CAP. = Catalogus operum S. Thomae, digestus a Bartholomaeo de Capua anno 1319 (ex MICHELITSCH I. 139-141). Coacti negleximus editionem quam curavit Mandonnet, etiam quoad catalogos GUI. et ANT., cum Mandonnet S. Antonini catalogum haud integrum exscribat. Editiones quas curavit Mandonnet alioqui parum, idque in solis numeri notis, differunt a textu, quem praebet Michelitsch. Ut autem facilius perspici possit, quo ordine singula opuscula in catalogis CAP., GUI. et ANT. ponuntur, numeri notas a Michelitsch adscriptas mutavimus. Sic in catalogo CAP. opuscula quae signantur 1-25 non attigimus, sed numeris 46, 47, 64, 65, 67 substituimus 26-30. — Catalogum Bartholomaei de Capua novissime edidit G. MOLLAT (in Steph. Baluzius, *Vitae Paparum Avenionensium*, Nouvelle édition, III, Paris 1921, p. 2-5 ; cf. Addenda, t. IV, 1922, p. 420). — De huius catalogi auctoritate vide GRABMANN 44-55, 75-93, et F. PELSTER, S. I., *Zeitschrift für katholische Theologie*, XLI (Innsbruck 1917), S. 820-832.

GUI. = Catalogus quem edidit Bernardus Guidonis circa annum 1325 (ex MICHELITSCH I. 148-155). Numeri notis 38-79, excepto n. 74 : *Super Dionysium de divinis nominibus*, quod inter opuscula haud solet enumerari, substituimus num. 1-41. Opusculum : *Officium Corporis Christi*, quod apud B. Guidonis est n. 10, notavimus 42.

ANT. = Catalogus confectus a S. Antonino circa annum 1455 (ex MICHELITSCH I. 157-164). Numeros 44-83, omisso 78 : *Super Dionysium*, mutavimus in 1-39. Addidimus n. 40 : *Officium Corporis Christi*, quod apud Antoninum signatur 19.

MED. = Opuscula S. Thomae 51, edita a Paulo Soncinate, Mediolani 1488 (cf. supra, p. 30).

BER. = Catalogus opusculorum, quem edidit Petrus de Bergomo (cf. Appendix III, sub 1C). Signum * apposuimus ad bina opuscula 69-70 : *In Boethium*, quae Petrus de Bergomo enumerat inter opera S. Thomae maiora. Opusculum 46, quod idem est ac 32, et opusculum 48 : *Summa totius logicae*, quod ei erat incompertum, designantur † signo.

SO. = Summa opusculorum S. Thomae, edita sine loci et anni nota, a quodam fratre « didascalo ». Opuscula 46 et 48 signantur † (vide apud BER.).

PIZ. = Opuscula S. Thomae edita ab Ant. Pizzamano, Venetiis 1490 (de opusculis 46 et 48 idem actum est ac apud BER.). In Pizzamani editione altera (Venetiis 1498), opuscula 48 et 73 primo exstant edita ; prorsus igitur in tabula hac collativa consonat cum ROM.

ROM. = Opuscula S. Thomae vulgata in tomo XVII (Romae 1571 et alibi saepius) operum omnium, iussu S. Pii V editorum. Opusculum 46 signavimus † ut apud BER.

TABULA COLLATIVA OPUSCULORUM S. THOMAE DE AQUINO

Cod. Avignon, Brugge, Oxford, Parc, Vatic., Cambridge, Geneviève, Bordeaux. *Cat.* Capua, Guidonis, Anton. *Ed.* Med., Bergomo, etc.	AV1	AV2	BRG	OXF	PRC	VAT	CAM	GEN	BOR	CAP	GUI	ANT	MED	BER	SO	PIZ	ROM
1. Contra errores graecorum ad Urb. IV.	—	—	—	—	15	23	23	23	—	12	21	19	2	1	1	1	1
2. Declar. articulor. contra graecos etc.	—	—	—	—	7	33	13	13	2	7	29	27	7	2	2	2	2
3. Compendium theologiae.	—	—	—	—	17	—	1	1	36	25	39	37	3	3	3	3	3
4. De praecept. carit. et x legis praec.	—	—	—	—	—	—	27	27	15	30	40	38	8	4	4	4	4
5. De articulis fidei et sacr. eccl.	—	—	—	—	16	30	9	9	1	24	28	26	9s	5	5	5	5
6. Expositio super symbolum.	—	—	—	—	24	27	30	30	—	29	25	23	6	6	6	6	6
7. Expositio super pater noster.	—	—	—	—	23	29	29	29	8	28	27	25	4	7	7	7	7
8. Expositio super ave maria.	—	—	—	—	22	28	28	28	7	—	26	24	5	8	8	8	8
9. Articuli 108 ex Petro de Tarentasia.	—	—	—	—	—	—	—	—	40	—	—	—	25	9	9	9	9
10. Articuli 42 ad Joh. Vercell.	—	—	—	—	26	21	26	26	5	15	18	16	26	10	10	10	10
11. Articuli 36 ad lectorem Venet.	—	—	—	—	27	37	24	24	—	13	20	18	27	11	11	11	11
12. Articuli 6 ad lect. Bisuntinum.	—	—	—	—	19	22	18	18	11	16	19	17	28	12	12	12	12
13. De differentia verbi di. et hum.	—	—	7	—	—	18	—	—	26	—	6	5	29	13	13	13	13
14. De natura verbi intellectus.	2	—	8	13	—	7	—	34	27	—	7	6	30	14	14	14	14
15. De angelis (substant. separatis).	—	—	—	—	6	15	10	10	35	6	13	11	13	15	15	15	15
16. De unit. intellect. contra Averro.	—	—	5	2	5	16	6	6	16	20	14	12	14	16	16	16	16
17. Contra retrahentes (de perf. chr. relig.)	—	—	—	—	9	8	4	4	37	9	37	36	23	17	17	17	17
18. De perfectione vitae spirit.	—	—	—	—	—	35	3	3	33	8	32	30	24	18	18	18	18
19. Contra impugnant. dei cultum.	—	—	—	—	13	—	2	2	34	1	38	35	22	19	19	19	19
20. De regimine princ. (rege et regno).	—	—	—	—	11	24	17	17	32	5	22	20	1	20	20	20	20
21. De regimine iudaeorum.	—	—	—	7	18	20	25	25	4	14	17	15	15	21	21	21	21
22. De forma absolutionis.	—	—	—	—	21	34	14	14	10	11	33	31	16	22	22	22	22
23. Expositio primae decretalis.	—	—	—	—	—	31	7	7	9	22	30	28	17	23	23	23	23
24. Expositio secundae decretalis.	—	—	—	—	—	32	8	8	—	23	31	29	18	24	24	24	24
25. De sortibus.	—	—	—	6	12	17	5	5	3	10	15	13	19	25	25	25	25
26. De astrorum iudiciis.	—	—	4	—	10	19	20	20	24	3	16	14	20	26	26	26	26
27. De aeternitate mundi.	—	—	—	8	2	26	12	12	20	21	24	22	21	27	27	27	27
28. De fato.	—	—	—	—	—	—	—	32	—	—	41	39	31	28	28	28	28
29. De principio individuationis.	3	—	9	11	—	3	—	35	28	—	4	3	32	29	29	29	29
30. De ente et essentia.	—	5	3	14	1	11	—	31	17	17	10	9	33	30	30	30	30
31. De principiis rer. naturalium.	—	6	—	15	3	14	11	11	14	4	1	1	34	31	31	31	31
32. De nat. materiae et dim. interm. (=46)	6	9	10	1	—	5	—	38	29	—	2	—	46	32	32	32	32
33. De mixtione elementorum.	—	1	6	12	4	36	21	21	25	18	34	32	35	33	33	33	33
34. De occultis operib. naturae.	—	—	—	5	14	9	19	19	22	2	8	7	36	34	34	34	34
35. De motu cordis.	—	2	—	10	8	10	22	22	19	19	9	8	37	35	35	35	35
36. De instantibus.	1	—	—	17	—	6	—	33	31	—	5	4	38	36	36	36	36
37. De quatuor oppositis.	7	—	—	16	—	2	—	—	23	—	3	2	39	37	37	37	37
38. De demonstratione.	—	11	—	—	—	12	—	—	12	—	11	—	—	38	38	38	38
39. De fallaciis.	—	3	—	—	—	13	—	39	13	—	12	10	—	39	39	39	39
40. De propositionibus modalibus.	—	—	—	18	—	25	—	—	6	—	23	21	40	40	40	40	40
41. De natura accidentis.	5	7	11	4	—	4	—	37	30	—	—	—	41	41	41	41	41
42. De natura generis.	4	8	12	3	—	1	—	36	18	—	—	—	42	42	42	42	42
43. De potentiis animae.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	45	43	43	43	43
44. De tempore.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	43	44	44	44	44
45. De pluralitate formarum (unitate formae)	—	—	2	—	—	—	—	—	—	—	—	—	44	45	45	45	45
46. De dimensionib. interm. (= n. 32).	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	†	†	†	†
47. De natura syllogismorum.	—	10	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	47	47	47	47	47
48. Summa totius logicae.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	†	†	†	48
49. De sensu resp. singularium et intell. etc.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	48	49	49	49	49
50. De inventione medii.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	49	50	50	50	50
51. De natura luminis.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	50	51	51	51	51
52. De natura loci.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	51	52	52	52	52
53. De intellectu et intelligibili.	—	—	—	—	—	—	—	—	21	—	—	—	—	—	53	53	53
54. De quo est et quod est.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	54	54	54
55. De universalibus I.	—	4	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	55	55	55
56. De universalibus II.	—	4	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	55	56	56
57. Officium de corpore christi.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	42	40	—	—	—	57	57
58. De ven. sacramento serm. XXXII.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	56	58	58
59. De eucharistia ad mod. x predicam.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	57	59	59
60. De humanitate christi.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	58	60	60
61. De dilectione dei et proximi.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	59	61	61

Cod. Avignon, Brugge, Oxford, Parc, Vatic., Cambridge, Geneviève, Bordeaux. *Cat.* Capua, Guidonis, Anton. *Ed.* Med., Bergomo, etc. | AV1 | AV2 | BRG | OXF | PRC | VAT | CAM | GEN | BOR | CAP | GUI | ANT | MED | BER | SO | PIZ | ROM

Cod. Avignon, Brugge, Oxford, Parc, Vatic., Cambridge, Geneviève, Bordeaux. *Cat.* Capua, Guidonis, Anton. *Ed.* Med., Bergomo, etc.	AV1	AV2	BRG	OXF	PRC	VAT	CAM	GEN	BOR	CAP	GUI	ANT	MED	BER	SO	PIZ	ROM
62. De divinis moribus.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	60	62	62
63. De beatitudine.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	61	63	63
64. De modo confit. et puritate conscient.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	62	64	64
65. De officio sacerdotis.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	63	65	65
66. Expositio ~~missae~~.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	64	66	66
67. De emptione et vend. ad tempus.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	65	67	67
68. Epistola de modo studendi.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	66	68	68
69. In boethium de hebdomadibus.	—	—	—	9	25	38	15	15	38	26	35	33	12	*	67	69	69
70. In boethium de trinitate.	—	—	—	—	—	—	16	16	39	27	36	34	11	*	68	70	70
71. De vitiis et virt. num. quaternar.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	69	71	71
72. De concordantiis in seipsum.	—	—	1	—	—	—	—	40	—	—	—	—	—	—	70	72	72
73. De usuris.															—	—	73
OPUSCULORUM COMPUTATIO :	7	12	12	18	26	38	30	40	42	30	42	40	51	52	70	72	73

APPENDIX II

CODEX MS. MUSEI MEERMANNO-WESTREENIANI (sign. 10 C 13)

(Claromontanus 540 ; Meermannianus 481)

Quamquam huius elucubrationis non est, describere codices manu exaratos, nemo tamen non comprobabit codicem excipi, qui, licet aetate recentior, ex celeberrimis est Claromontanis, et S. Thomae opuscula praebet 30. Libri notitiam acceptam refero v. cl. A. J. de Mare, qui Musei Meermanno-Westreeniani thesauris conservandis praeest.

Ortus est codex in Italia, testante tum ipsa scriptura, tum inscriptione manu saeculi XVI : *Trentadue operette di sco Thomaso*, quae exarata legitur in membrana, qua pars involucri antica intus tegitur. Paullo inferius erasa fuerunt verba duo vel tria, nomen forte bibliothecae. Eadem manus in tegumento postico intus adnotavit : *ala theologia n° xiiij*. In Galliam dein codex deductus videtur a Philippo Desportes poeta († 1606), qui iunior in Italia moratus est. Scribitur enim fol.1b : *Ex libris Philippi Portae*, et fol.2a : *Desportes*. Transiit dein codex ad bibliothecam Claromontanam, quod monet inscriptio saeculi XVII (fol.1a) : *Collegij Parisiensis Societatis Jesu*. Eadem verba iteravit manus (Mesnilii ?) saeculi XVIII (fol.2a) : *Collegij Parisiensis Soc^tis IESV*, quae et addidit : *275f*, puta numerum — erroneum sane, sicuti in plerisque aliis Claromontanis — foliorum, qui re vera est 282. Eiusdem aetatis alia manus in involucri parte antica intus adnotavit : *Sancti Thomae Volumen diuersorum operum*. Scripsit tandem propria manu Mesnil, uti in aliis codicibus Claromontanis omnibus (fol. 2a) : *Paraphé au désir de l'arrest du 5 Juillet 1763. Mesnil.*

Codicis involucro a summo tergo agglutinata est chartula cui inscripta *481*, qui est numerus catalogi Meermanniani ; ab infimo tergo parva schedula quadrata, in qua typis excusum : ML 108 (Manuscriptus Latinus 108), quod est signum bibliothecae Claromontanae. In codicis corpore inter folia 77 et 78 glutine affixa est schedula maior cui inscriptio : *DXL*, puta numerum catalogi Claromontani.

Memoratur codex in opere : *Catalogus manuscriptorum codicum Collegii Claromontani* [auctore Francisco CLÉMENT, O. S. Ben., † 1793] (Parisiis 1764), p. 190, n. DXL ; et etiam in *Bibliotheca Meermanniana* [Hagae-Comitum 1824], IV, pag. 79, n. 481. — In auctione anno 1824 habita pretio 37 florenorum codex emptus fuit a Guilielmo barone Van Westreenen van Tiellandt (de quo mox). Cf. *Prix des livres de la bibliothèque Meermannienne* [La Haye, s. a.], p. 168, n. 481.

Claromontanorum codicum haec est historia succincta.

Patres Societatis Iesu in eorum collegio Parisiensi, quod prius (1564-83) vocabatur « Collège de Clermont », dein « Collège de Louis-le-Grand » ingenti rei litterariae lucro commodoque grandi numero comportaverant codices manu exaratos, ex antiquis Galliae monasteriis potissimum oriundos. Societate suppressa codices hi globatim empti fuerunt a Gerardo Meerman, Hagano, anno 1764, qui eos Hagam-Comitum abduci fecit paene omnes, atque una cum aliis multis libris splendidissimis anno sui obitus (1771) reliquit Iohanni filio. Qui patris thesauros perpetuo auctos post mortem (1815) legavit reipublicae Haganae, ut immiscerentur bibliothecae, quae Regia hodie vocatur.

Cum vero respublica Hagana, extrema utique dementia, legatum acceptare renueret, anno tandem 1824 codices Claromontani una cum permultis aliis libris Meermannianis, tum manu scriptis tum typis excusis, sub hasta venditabantur. Claromontani maximam partem empti fuerunt a Thoma Phillipps Anglo († 1872), qui eos secum abduxit in Middlehill, postea in Cheltenham. Inde vero ab anno 1886 haeredes Phillippsiani ingentem quam collegit Thomas codicum copiam, numero circiter 40.000, variis auctionibus vendere coepti sunt. Hac ratione anno 1889 codices Claromontani maximam partem devenerunt ad Bibliothecam olim Regiam Berolinensem.

Nonnulli tamen ex Claromontanis in auctione Meermanniani anno 1824 habita empti fuerunt a Guilielmo barone Van Westreenen van Tiellandt († 1848), Meermannis affini, qui eos una cum multis libris rarissimis, typis potissimum excusis, rebusque aliis visendis multum variis, Reipublicae legavit Neerlandicae, nobili adiecto aedificio, quod exinde vocatur Museum Meermanno-Westreenianum.

De codicibus Claromontanis egregrie scripserunt H. Omont, *Documents sur la vente des manuscrits du Collège de Clermont à Paris (1764)* in *Bulletin de la société de l'histoire de Paris*, XVIII (Paris 1891), p. 7-15. V. Rose *Verzeichniss der lateinischen Handschriften (der Königlichen Bibliothek zu Berlin)*, I (Berlin 1893), S. I-XVIII. Alios Musei laudati Claromontanos quinque, quibus insunt hagiographica, brevi calamo descripsit A. Poncelet, *Analecta Bollandiana*, XXXI (Bruxellis 1912) p. 45-48. — Musei historiam perstrinxit A. W. Byvanck, *Gids voor de bezoekers van het Museum M-W.* ('s-Gravenhage 1912), blz.3-10. Cf. *De verkooping van Meerman's boekerij* (*Het Boek*, 1924, 225-34).

Habet codex folia 282 ex optimae notae membranis confecta, marginibus late ornata (folia sunt $0^m.$ 334×227 ; scripturae extremitates $0^m.$ 208×113), manu recenti plumbo notata numeris. Prima tamen manus inde a folio quod nunc signatur 16, minio exaravit numeros 1-262 (nunc 16-281 ; folia 80-83, quae vacant, a prima manu praetermittuntur) notis Arabicis seu Indicis, non semel tamen a libri glutinatore resecatis. Conscriptus est codex littera minuta eaque nitidissima, quam saeculi XV. humanistae Itali usurpare consueverunt. Litterae quas vocant initiales alternis vicibus rubro pictae colore ac caeruleo. Fol. 16a margines perbelle ornati flosculis aliisque id genus. Fol. 15b litteris aureis et caeruleis, circulis versicoloribus circumductis, scribitur : IN HOC CODICE CONTINENTVR OPERA SANCTI THOMME (!) DE AQVINO QVE IN TABVLA SVNT ADNOTATA. Involucrum duabus constat tabulis

ligneis corio obductis, laminisque aeneis parce figurisque impressis parum eleganter ornatur.

Codicis aetas a Catalogis Claromontano et Meermanniano putatur saeculi XVI. ineuntis. Scriptura tamen mihi videtur parum vetustior, anno, inquam, circiter 1480-90 exarata. Scribitur quidem fol.241b : «Sicut inueni die viij. Ianuarij 1471 », sed haec ab amanuensi exscripta aestimo ex archetypo. Vix enim credi potest, amanuensem, qui certo fuit mercede conductus, eundem esse cum viro docto, qui passim in codice iudicium facit sat subtile de opusculorum 28, 45 et 49 genuinitate.

Quum codex sit saeculi XV. exeuntis, quo tempore S. Thomae opusculis genuinis spuria passim in codicibus permiscebantur, inutile erit singulos tractatus minutatim describere. Sufficit verbotenus exscribere lemmatum tabulam, prout in ipso codice exstat (fol.1b) minio exarata, additis duobus opusculis (n. 11 et 16) ab amanuensi praetermissis. Apponuntur etiam foliorum numeri, tum primigenii, tum recenter adscripti. Opuscula ad quae infra revertimur asterisco (*) signantur. Tractatus qui ordinarie non nominantur inter S. Thomae opuscula (n. 14, 32), aliusque tractatus qui ne in codice quidem S. Thomae adscribitur (n. 31), litteris ponuntur quas vocant italicis.

1 (fol. 1b). In hoc Codice continentur infrascripta opera Sancti thome de aquino videlicet

1.	De rege et regno libri iiij^{or} Carte	fol. 1	fol. 16a-79a	Op.20
2.	De perfectione spiritualis uite lib. i.	65	» 84a-106b	18*
3.	De erroribus grecorum lib. ij.	88	» 107a-123a	1
4.	De articulis fidei et ecclesie sacramentis [= Expositio super primam decretalem. Expos. super secundam decr.]	111	» 123b-130b	23* 24*
5.	De sortibus.	111	» 130b-136a	25*
6.	Vtrum liceat uti iudicio astrorum.	115	» 136b	26
7.	Epistola ad Ducissam Brabantie	18	» 137a-139a	21*
8.	Epistola ad fratrem Iohannem theutonicum [sic].	120	» 139a-143a	10
9.	Epistola ad fratrem Gerardum lectorem.	124	» 143b-144a	11
10.	*Multe et diuerse et utiles orationes.*	125	» 144b-146a	—*
11.	[Epistola de modo studendi].		» 146a-b	68*
12.	De unitate intellectus contra aueroistas	127	» 146b-161a	16
13.	Epistola ad lectorem florentinum	142	» 161a-161b	67
14.	*Tractatus super librum de causis*	143	» 161b-193b	—*
15.	De ente et essentia	174	» 193b-201a	30
16.	[Tractatus de modalibus]		» 201a-202a	40
17.	De uerbo siue de natura uerbi	183	» 202a-204b	14
18.	De principio indiuiduationis	186	» 205a-206b	29
19.	Tractatus de inuentione medij	187	» 206b-207a	50
20.	Tractatus de uerbo	188	» 207a-208a	13
21.	Tractatus de instantibus	189	» 208a-213a	36
22.	Tractatus de natura luminis	194	» 213a-214a	51
23.	Tractatus de quatuor oppositis	196	» 214b-221a	37
24.	Tractatus de pluralitate formarum	202	» 221b-229b	45*
25.	Tractatus de natura materie et mensionibus (!) interminatis	210	» 229b-238b	32
26.	Tractatus de loco et natura loci	219	» 238b-241b	52*
27.	Tractatus de tempore	223	» 241b-247a	44
28.	Tractatus de fato	226	» 247a-253b	28*
29.	Tractatus de potentijs anime	234	» 253b-261a	43
30.	Tractatus de sacramento corporis christi	242	» 261a-268b	59*
32.	*De uirginitate ioseph sponsi uirginis marie.*	249	» 268b-269b	—*
32.	*Sermo de festo corporis christi*	250	» 269b-270b	—*
33.	De rationibus fidei	251	» 270b-280b	2*

Insunt igitur codici S. Thomae opuscula 30, e quibus tamen 8 communiter aestimantur spuria, quae sunt :

1. De rege et regno (partim) op. 20	26. De natura loci op. 52.
19. De inuentione medii. op. 50	27. De tempore op. 44.
22. De natura luminis op. 51	29. De potentiis animae op. 43.
24. De pluralitate formarum op. 45	30. De sacram. corp. cristi op. 59.

Post lemmatum seriem sequuntur :

2 (fol. 2a-11b). Tabulae lemmatum.

Sunt lemmata omnium opusculorum omniumque eorumdem capitulorum, addito cuiusque capituli initio, foliique quo invenitur numero. Hae tabulae diligenter ac magno membranarum sumptu sunt exaratae.

Fol. 12a-15a vacant.

3 (fol. 15b). [Inscriptio] IN HOC CODICE CONTINENTUR (etc.).

De hac inscriptione cf. supra, p. 77, ad calcem.

4 (fol. 16a-280b). [Opuscula S. Thomae, et quaedam alia].

Quae memoratu digna sunt hic singillatim describuntur.

A. Op. 18. *De perfectione uite spiritualis.* — Desinit ut S.

B. Op. 23-24. *Incipit tractatus sancti thome de aquino ordinis predicatorum. De articulis fidei et ecclesie sacramentis exponendo primam decretalem de summa trinitate et fide catholica feliciter.* (Inc.). Saluator noster... (Des.) in infinitum distat et sic est finis. *Explicit expositio principii decretalis secundum sanctum thomam ordinis fratrum predicatorum.* — Mira hic perturbatio in lemmate, quod iisdem verbis scribitur in Tabula (fol. 8a). Etenim lemma « De articulis fidei et ecclesie sacramentis » pertinet ad opusculum 5. Et tamen sequitur opusculum 23 (*Expositio prime decretalis*), cui continuo (fol. 128b, lin. 32) sine ulla inscriptione subnectitur op. 24 *(Expositio secunde decretalis)*. Ipsum amanuensem incertum fuisse patet ex hoc, quod in Tabula (fol. 8a) omittitur initium, et quod tam hic quam in lemmatum serie (fol. 1b) folii numerus scribitur III pro 104.

C. Op. 25. *Incipit liber de sortibus sancti thome de aquino et de sortatis.* — In Tabula (fol. 8a) et in lemmatum serie (fol. 1b) : *De sortibus.*

D. Op. 21. *Epistola ad ducissam Brabantie.* — Incipit ut MPR.

E. *Incipiunt diuerse et utiles orationes composite per uenerabilem doctorem et sanctum thomam de aquino ordinis fratrum predicatorum.* Ex modo satis laevo quo lemmati inserta sunt verba « et sanctum », erui potest, orationes esse exscriptas ex archetypo, in quo S. Thomas sola denominatione « venerabilis doctor » ornabatur.

— Sequuntur orationes hoc ordine (fol. 144b-146a) :

1°). Oratio pro incipientibus (ed. Vivès, XXXII. 819ss., Or. I).
2°). Oratio de proficientibus (Or. II).
3°). Oratio pro perfectis (Or. IV).
4°). Oratio de gratiarum actione (Or. V).
5°). Oratio ad virginem mariam (Or. X).
6°). Oratio pro contemplatiuis (Or. III).
7°). Oratio quam dicebat quando se applicabat ad studium (Or. IX).

F. Op. 68. *Epistola sancti thome de aquino ordinis predicatorum Quomodo sit studendum.* — (Des.) poteris quod affectas. ¶ Sunt enim quidam qui de omnibus male iudicant... incumbe. Amen (est idem additamentum ac in SO. Lectiones varias vide ad opusculum 68). Huius opusculi lemma deest in inscriptionum serie (fol.1b).

G. *Scriptum sancti thome ordinis predicatorum super libro de causis.* (Inc.). Sicut dicit philosophus in x°. ethicorum (ed. Vivès, XXVI. 514).

H. Op. 45. *Incipit tractatus sancti thome de aquino De pluralitate formarum.* — (Des.) fastidium generetur. Deo gratias nunc et semper. Amen. *Explicit tractatus de formarum pluralitate siue potius contra pluralitatem formarum Sancti thome de aquino. quamuis iuditio meo opusculum hoc grauitatem sancti thome non sapiat in sententijs uel in uerbis saluo tamen iuditio saniori.* Opusculum re vera non videtur esse S. Thomae, sed cuiusdam fratris Thomae Anglici ; cf. ad opusculum 45.

I. Op. 52. *De natura loci.* — (Des.) formales rationes. *Explicit de natura loci tractatus sancti thome de aquino ordinis predicatorum Sicut inueni die. viij. Ianuarij. 1471.* Supra (p. 78) iam monuimus hunc annum ab amanuensi sine dubio exscriptum esse ex archetypo, ipsum vero amanuensem codicem exarasse annis circiter 1480-90 (cf. etiam ad op. 28, quod proxime sequitur).

J. Op. 28. *De fato.* — (Des.) contemplationes bonorum. *Explicit tractatus de fato qui ut scriptum inueni die in Ianu. 147. dicitur compositus a sancto thoma de aquino ordinis fratrum predicatorum.* Forte archetypi auctor dicere voluit, se opusculum inuenisse die 3ª Ianuarii anno 1470. Nemo enim nescit saeculi XV. viros non semel perturbatos fuisse scribendi ratione numerorum, quos vocant Arabicos seu Indicos. Nonnunquam 15013 scripserunt pro 1513, vel 152 pro 1502 (cf. W. WATTENBACH, *Anleitung zur lateinischen Paläographie*, 4e Aufl., Leipzig 1886, S.104f. De usu numerorum Indicorum cf. GRABMANN S. 140, Anm. 3). Ipsa lemmatis verba manifestant dubium de opusculi genuinitate. Cf. p. 27 Add.

K. Op. 59. *Tractatus De sacramento corporis cristi. secundum ordinem decem predicamentorum editus ut dicitur a sancto thoma de aquino licet mihi non uideatur* (Idem scribitur in Tabula, fol.11a). (Des.) ad dexteram dei patris. ad quam nos perducat ipse cristus qui est benedictus in secula Amen. ¶ *Explicit tractatus de sacramento corporis cristi secundum decem predicamenta que a logicis numerantur editus ut dicitur per sanctum thomam de aquino. Sed an sic sit sapientiori iuditio derelinquo.* Cf. quae supra fuse disputavimus ad opusculum 59.

L. *De uirginitate Ioseph sponsi Gloriose uirginis marie.* (Inc.) Ex omelia uenerabilis bede presbiteri super euangelium Iohannis : Descendit iesus capharnaum. — Sunt modici valoris excerpta ex variis auctoribus qui sunt : BEDA (Hom. XXII, in fer. 2 Quadr. Ed. Migne, *Patrol. lat.*, XCIV. 114-115, lin. 23) ; AUGUSTINUS (in sermone); Frater ANTHONINUS archiepiscopus florentinus in 3ª parte summe ([theologice] tit. I, c. 18) ; S. THOMAS (in Postilla super Johannem) ; ALCHIMUS [Alcuinus] quem allegat sanctus thomas in cathena

aurea ; S. THOMAS (Summa III, q. 28, a.4 in corpore qu.) ; S. THOMAS (IV Sent., d. 30 in solutione arg. 4) ; PETRUS DE PALUDE (IV Sent., d. 30, q. 2, a. 2). In fine : *Explicit omelia uenerabilis bede presbiteri supra euangelium Iohannis De uirginitate Ioseph* [sponso] *gloriose uirginis marie.* — Omnia haec in codice implent lineas tantum 65.

M. *Incipit sermo sanctissimi doctoris sancti thome de aquino ordinis predicatorum. De festo corporis cristi.* (Inc.) Hodierne celebritatis fratres karissimi memoria letabunda nos admonet. vt in laudibus sacro sancti corporis... (Des.) in regno patris iugiter gustaturus. prestante domino ihesu... ¶ *Explicit sermo de corpore cristi beati thome de aquino ordinis predicatorum.* —Typis vulgatus exstat sermo in ed. Vivès, t. XXXII, p. 680-682 (Sermo IV) ex recensione Uccellii, qui eum exscripsit ex cod. Paris. 15034. Sermo S. Thomam nullimode sapit ; abundat enim exclamationibus aliisque eiusmodi teneritatibus. In ed. Vivès (Praefatiuncula) adscribitur saeculo XV/XVI.

N. Op. 2. *Incipit liber sancti thome de aquino ordinis predicatorum de rationibus fidei ad cantorem anthiocenum.* — Eadem opusculi inscriptio ad calcem (fol.280b). Opusculum antiquitus inscriptum fuisse *De rationibus fidei* iam monuimus ad op. 2.

Fol. 281-282 vacant.

Ex iis quae e codice decerpsimus manifestum est, archetypi auctorem fuisse virum, cui in diiudicanda opusculorum S. Thomae genuinitate iudicium satis acre non deerat. Patet etiam e codicis facie, eum fuisse exaratum ad usum alicuius personae nobilis, archetypi auctoris forte amici. In eiusdem forte personae laudem, et beneficiorum vel gubernii agnitionem opusculum 20 : *De rege et regno* primo loco positum fuit. Quod et in Pauli Soncinatis editione factum fuisse iam vidimus in laudem Ascanii Sforzae (p. 30). Codices demum quibus insunt tractatus scholasticorum theologici, raro fuisse exaratos littera quam vocant humanistarum, nemo ignorat.

APPENDIX III

PETRI DE BERGOMO TABULA SUPER OMNIA OPERA S. THOMAE SAECULO XV. QUATER, NON QUINQUIES EDITA

Ex *Tabula super omnia opera S. Thomae,* quam anno 1473 primo vulgavit Petrus de Bergomo, orta est, si verum quaerimus, series 70 circiter opusculorum, qua usque ad hodiernam diem utimur. Fatetur enim frater Didascalus, qui Sancti Doctoris opuscula collegit primus, quod « colligendi opuscula sumpsi(t) originem et noticiam » ex Petri de Bergomo opere. Nam « quia (Petrus de Bergomo) inicia opusculorum ponit », hoc est : quoniam exhibet lemmata opusculorum 52 una cum eorum initiis, fratri Didascalo instrumentum praesto fuit idoneum et tutum, quo « velud apis argumentosa » conquirere posset « e diuersis liberariis » Sancti Thomae opuscula. Quin etiam, sine *Summa opusculorum* a fratre Didascalo digesta, Petri de Bergomo Tabula nunquam plene assecuta esset finem ad quam auctor eam destinaverat. Tabulae enim suae intexerat quidem sententias et argumenta opusculorum 52 (50), sed vix ullus opuscula illa, sive omnia, sive magnam partem penes se habuit (cf. p. 24-25).

Brevis itaque elucubratio de vetustis Tabulae editionibus necessarium videtur supplementum ad ea, quae de *Summae opusculorum* origine, indole, auctoritate, historia disseruimus. Occasionem quoque arripimus, tollendi nonnullos errores huc illuc disseminatos.

Prima editio prodiit

1. BONONIAE, apud Balthasarum Azzoguidi, die 11ª Martii 1473. 2°. Volumen incipit (fol, 1a-b vacat :

A (fol.2a-b). *Religiosissimi uiri fratris Petri de bergomo ordinis predicatorum sacre theologie professoris eximii super omnia opera diuini doctoris Thome aquinatis tabula feliciter incipit.* Continuo sequitur *Prologus* incipiens : « Ad laudem et gloriam vnius trinique dei », quo edicitur, quod « hec tabula continet per ordinem alphabeti conclusiones omnium librorum sanctissimi doctoris thome... tam in artibus quam in sacra pagina ac in diuina theologia ». Dein minutatim exponitur qua ratione libro sit utendum, quidque significent varia quae adhibentur verborum compendia (cf. p. 86, sub F).

B (fol.2b). *Isti sunt libri quos composuit prefatus doctor sanctus thomas*

ordinis fratrum predicatorum. — Est series operum maiorum, quae hoc ordine enumerantur (numeri sunt ex MANDONNET, p. 104-110, in tabula collativa) : 45, 43, 63, 55 abfgedc ; 56 = *Quodlibeta. 11. quorum questiones sunt.100. et articuli.210. Sed secundum aliquos sunt quodlibeta. 13* [lege : 12] *quorum articuli sunt.247* ; *Compendium theologie habens capitula.260* ; *De regimine principum ad regem cipri* (= op. 20) ; 32/35, 36, 39, 42, 29, 30/31, 26, 27, 48/127, 28 ; *Expositio super boetium de trinitate* (= op. 70) ; *Exp. super boetium de ekdomadibus* (= op. 69) ; 12, 13 ; *Scriptum super librum iconomicorum* ; 11, 3-6, 7/8, 9, 10, 124, 23, 1, 2 ; *Scriptum super librum porphirii* ; *Questiones de vniuersalibus* (= op. 55/56 ?) ; 146, 71 ; *Officium de sacratissimo corpore cristi ad mandatum vrbani pape* (= op. 57).

Commentaria *Super librum oeconomicorum* Aristotelis et *Super librum Porphyrii* ne hodie quidem inter S. Thomae opera vulgata inveniuntur. *Quaestiones de universalibus* forte idem sunt ac opuscula 55/56 ; in codicibus manu scriptis tamen alii adhuc exstant tractatus *De universalibus* sub nomine S. Thomae (cf. GRABMANN, S.164f.,166f.). Binae expositiones *Super Boethium* (op. 69-70) et *Officium de Corpore Christi* (op. 57) hic enumerantur inter opera maiora ; a fratre Didascalo postea vulgata sunt inter opuscula. *Compendium theologie habens capitula 260,* a Petro de Bergomo inter opera maiora collocatum, manifeste eius sententia distinguitur a *Compendio theologie ad fratrem Reginaldum,* quod enumerat inter opuscula (op. 3). Sine dubio tamen idem est opus, nam Compendium quod enumeratur inter opuscula, reapse habet capitula circiter 260, puta 256, alibi 264. Nec hic intelligi potest notissimum *Compendium theologicae veritatis* ; hoc namque semper dividitur in partes VII et capitula 297. Error porro de duplici Compendio theologiae iam disseminatus fuit a Bartholomaeo de Capua, anno inquam 1319, qui falso distinguit *Compendium theologiae* a tractatu *De fide et spe* (cf. MANDONNET, p. 30s, n.25, 48 ; MICHELITSCH I. 140). Error apertius adhuc iteratur ab Ambrosio de Alemania (cf. infra sub 4D).

Ex hac serie S. Thomae operum, et ex serie opusculorum, de qua mox, patet, Petrum de Bergomo nullo antiquorum catalogo innixum, S. Thomae attribuisse quotquot in codicibus Sancto Doctori invenit tractatus adscriptos.

C (fol. 3ab). *Iste est numerus et ordo opusculorum sancti doctoris secundum quod allegantur in hac tabula numero LII.* — Sunt lemmata opusculorum 1-52, additis initiis. Opusculum 1 : *De erroribus grecorum,* dicitur scriptum *ad vrbanum quintum.* Idem error transiit in Summam opusculorum (cf.ad op.1). — De opusculo 13 scribitur : *De verbo* [qui incipit] *sic. Ad intellectum huius nominis. Item alius tractatus eius de verbo qui incipit. sic. Videamus quid sit.* Est tamen idem prorsus opus, initio varium (cf. ad opusc. 13). — Opusculum 32 : *De natura materie,* et op. 46 : *De dimensionibus interminatis* in SO coniunguntur ; quod etiam in codicibus mss. fieri solet. — Ad opusculum 48 : *Summa totius logice,* non apponitur initium, quia Petro de Bergomo erat incompertum.

D (fol. 3b-4b). *Confirmatio et approbatio doctrine sancti doctoris Thome de aquino ordinis predicatorum. — Epistola vniuersitatis parisiensis in fauorem doctrine sancti doctoris. — Innocentius papa in sermone.* Verbotenus ex Petro de Bergomo sunt transsumpta ab SO (fol. 2*b1-3*b1). Cf. p. 20-21, ubi penitius tractantur [1].

E (fol.5a-268b). [Tabula]. — (Inc.) *A vel ab designat tantum habitudinem...* (Des.) *Zorobabel interpretatur magister confussionis et fuerunt .duo. scilicet. filius salathiel et filius fratris eius. mat. co. 17.18.* Statim additur : *Anno domini. Mcccclxxiii. die undecimo martii ex officina Baldaseris azoguidi Ciuis bononiensis. Bononie.* — Sequitur (fol.269a) registrum foliorum, ad usum glutinatoris.

Habet volumen folia 270 (non 269) in 2°, typis romanis exarata. Fol.1,201 et 269b-270b vacant. Exstant nonnullibi exemplaria (Parisiis, Londini) in chartis pergamenis exarata, quae sine dubio dono fuerunt oblata viris genere vel dignitate nobilissimis. Immerito nonnulli conquesti sunt (Mittarelli, Audiffredi) hanc editionem « nimiis abbreviaturis deformatam » esse, innumera ad quae Petrus de Bergomo remittit loca putantes abbreviaturas. J. C. Brunet, *Manuel du libraire et de l'amateur des livres*, 5e éd., I (Paris 1860), col.787s., de hac editione inepte — ut saepius, quando loquitur de libris theologicis — dicit : « Edition rare, mais de peu de valeur » (!).

Describitur liber ad Hain *2816 ; Copinger I.*2816, et III, p.245 ; Pellechet 2072. Albano Sorbelli, *I primordi della stampa in Bologna. Baldassarre Azzoguidi* (Bologna 1909), p. 172-175, n. XV. Exhibet Sorbelli voluminis folium 9a phototypice expressum.

2. Basileae, per Bernhardum Richel, anno 1478 die 4a Decembris (362 ff., 2°).

Verbotenus exscripta est ex editione Bononiensi anni 1473.

Hain *2818 ; Pellechet 2074 ; BMC. III. 738 ; Holtrop II. 820.

Folium 1a huius libri phototypice exprimitur in *Veröffentlichungen der Gesellschaft für Typenkunde des XV. Jahrhunderts*, XII (Halle [Saale],1918), Taf.989.

3. Basileae, per Nicolaum Kessler, anno 1495 (286 ff., 4°).

Prorsus iterata ex ed. Basileensi anni 1478. Nulla igitur ratio habita fuit de novis opusculis 18 ab SO et a Pizzamano vulgatis.

Hain *2819 ; Pellechet 2075 ; BMC. III. 771.

4. Venetiis, per Joh. Rubeum [impensis Alexandri Calcedonii]. [1497]. 2°.

Huic libro insunt tria Petri de Bergomo opera, aucta ab Ambrosio de Alemania, O. Praed.

1°). Tabula super omnia opera S. Thome.

1. Codex manu scriptus qui asservatur in conventu FF. Praedicatorum in Huissen (de quo cf. *S. Thomae opera* I, Romae 1882, p. VII ; Grabmann 261-62), quemque oculis videre nuper occasio mihi erat, pro diiudicanda opusculorum genuinitate nullum habet valorem. Exhibet namque apographum, typothetae erroribus haud praetermissis, ex Petri de Bergomo Tabula, eorum, inquam, quae supra sub B, C, D descripsimus.

2°). Ethimologie seu concordantie dictorum atque conclusionum in quibus D. Thomas videtur sibi contradicere.

3°). Auctoritates sacre scripture quas D. Thomas exposuit.

A (fol. 1a). *Tabula in libros. opuscula. et commentaria diui Thome de Aquino.cum additionibus conclusionum : concordantiis dictorum eius : et sacre scripture autoritatibus.* Est voluminis inscriptio.

B (fol. 1b). Epistola dedicatoria Ambrosii de Alemania ad Thomam Donatum, O. Praed., patriarcham Venetum. — Ex epistola patet, utrumque fratrem Praedicatorem fuisse discipulum Petri de Bergomo.

C (fol. 2a). *Commendatio doctrine Sancti Thome de Aquino. per Apostolicam Sedem.* — Sub hac inscriptione ponitur effatum Innocentii Papae, de quo supra, p. 21. Sequitur deinde bulla Urbani V, dd. 31 Aug. 1368 (quae hic dicitur edita ab Urbano VI, anno 1379. Cf. quae de hoc errore diximus ad op. 57 circa finem), et epistola Universitatis Parisiensis anni 1325. Haec omnia exscripta sunt ex Petro de Bergomo ; cf. sub 1 D.

D (fol. 2b). *Isti sunt libri. quos composuit Diuus doctor... secundum ordinem et numerum prout allegantur in presenti tabula.* — Eadem fere sunt opera quae enumerat Petrus de Bergomo, sed hoc ordine : 45, 43, 63, 55 abfgecd, 56, *Qq. de vniuersalibus* (= opusc. 55/56 ?), *Compendium theologie in communi habens capitula 260 ; Volumen opusculorum eius habens libros.73. quorum nomina ordo et numerus postea hic inferius annotantur suo loco ;* 26-29, 30/31, 32/35, 36, 39, 42, 48, 127, 146, 71, 23, 12, 13, *Super librum iconomicorum ;* 11, 3-6, 7/8, 9, 10, 106, 1, 2, *Super librum Porphirij.*

Ad libros a Petro de Bergomo enumeratos Ambrosius de Alemania adiungit *Scriptum super librum de Somno et uigilia* Aristotelis (MAND., n. 106). Ad librum *De causis* (MAND., n. 23) iam nominatum a Petro de Bergomo, hic additur : « Procli philosophi ». Quae Petrus de Bergomo memorat de Quodlibetis (MANDONNET, n. 56), hic verbotenus iterantur. E contrario ab Ambrosio hic omittuntur opusculum 20, a Petro de Bergomo male bis enumeratum, et opuscula 57, 69 70, quae interim a fratre Didascalo et Pizzamano inter opera S. Thomae minora fuerunt edita. Error de duplici Compendio theologiae apertius iteratur, quum enumeretur inter opera maiora : *Compendium theologie in communi habens capitula 260,* et inter opuscula : *Comp. theol. in speciali. seu de cristiana religione sub fide spe et caritate ad fratrem Reginaldum socium suum carissimum.*

E (fol. 2b-3a). *Nomina. ordo. et numerus opusculorum... secundum quod allegantur in presenti tabula : prout per tempora diuersa. ex diuersis mundi partibus. ad manus nostras deuenerunt.* — Enumerantur lemmata et initia opusculorum 73, id est : ea quae interea anno 1490 ediderat Pizzamanus (op. 1-72), et additur lemma opusculi 73, tunc, anno 1497, nondum vulgati : *De usuris in communi. sic. Omnis homo a natura non degenerans : ueritatem amat.* Continuo subiungit Ambrosius noster de hoc opusculo spurio diffusum sermonem, cuius partem priorem, quae nostri interest, exscribimus, nonnullis rescissis : *Hoc ultimum opusculum. quia neglectu quorumdam. cum alijs sancti Thome opusculis impressum non fuit : cum*

tamen ut a peritis antiquioribus patribus sacri ordinis predicatorum accepimus. absque dubio sit opusculum eius. atque in eodem opusculo [laudetur opusculum « De decem preceptis » ab eodem S. Thoma compositum. — Sed hic non intelligi potest S. Thoma opusculum 4 ; cf. QUETIF-ECHARD, I. 371b] : *idcirco ipsum ultimum opusculum de usuris in communi. in hac saltem tabula. quo ad principales eius conclusiones perutiles ac necessarias. plenius sub dictione Vsura. per ordinem conclusionum. ut imprimeretur curauimus* » (etc.). Quam vehementem Ambrosius noster ceperit laetitiam ex opusculo, heu spurio, a se invento, manifestat dictio « Vsura », sub qua laudat conclusiones 314. Petrus de Bergomo 15 tantummodo in hac voce laudaverat locos.

Quoad alia opuscula haec sunt notanda : Opusculum 1 etiam hic dicitur scriptum ad Urbanum « quintum ». — Quoad opusculum 13 : *De verbo* idem iteratur error, quem Petrus de Bergomo scripserat. — Opusc. 48 hoc modo laudatur : *Summa totius logicae. sic. Quoniam omnes homines. prout etiam in supplemento cronicarum. libro 13. folio. 130. allegatur.* Nemo tamen nescit, testimonium huius chronicae, a Jacobo Philippi Bergomensi, O. E. S. Aug. compositae, nullius hac in re esse valoris. Praeterea Jac. Philippi nil aliud praebet quam seriem opusculorum, verbotenus, sed neglegenter, exscriptam ex Petri de Bergomo Tabula. Memorat igitur *Summam totius logicae* sine textus initio. Ex typothetae tamen errore post opusculi lemma positum fuit verbum « Quoniam ». Et quum Ambrosius de Alemania, ex codice manu scripto, in quo hoc opusculum invenit, notaverat illud incipere a verbis : « Omnes homines », ideo utrumque initium coniunxit, scribens : « Quoniam omnes homines » ! — Ex editionibus *Supplementi chronicarum*, auctore Jacobo Philippi, vidi editionem secundam ab ipso auctore castigatam (Brixiae 1485. HAIN * 2806 ; PELLECHET 2065. Cf. ibid. fol.281b. Ibi omittuntur opuscula 7, 8, 49). Iidem errores iterantur in editionibus posterioribus, ex. gr. in editione Venetiis anno 1513 vulgata. Opuscula confuso valde ordine enumerantur (fol.234b), et praeter iam memorata omittitur hic etiam opusculum 19.

F (fol. 3a-b). *Declaratio prohemialis.* — Praebet eadem fere, sed fusius, quae P. de Bergomo in Prologo (cf. sub 1A) exponit de ratione qua Tabula utendum est. Dixerat Petrus de Bergomo se a Tabula exclusisse ea quae « in textu librorum quos idem sanctus doctor exponit patenter habentur ». Haec planius exprimit Ambrosius de Alemania dicendo, in Tabulam non esse recepta ea, quae in Catena aurea super IV Evangelia et in Expositionibus in libros Aristotelis non sunt verba S. Thomae.

G (fol. 4a-322b). *Eximij Doctoris. Fratris Petri de Bergomo... in ciuitate Placentie cum maxima populi ueneratione. sub deuoto deposito sepulti. Anno salutis humane. Mccccl xxxiiij. in omnes libros. opuscula. et commentaria Diui Thome... cum preclarissimis additionibus conclusionum. et suis concordantijs atque diuine scripture autoritatibus... Tabula feliciter incipit.* — Qui hic laudatur annus 1484 referendus est non ad obitus Venerabilis Petri de Bergo moannum, qui est 1482, sed ad annum iconi, ad eius tumulum appositae, inscriptum (cf.

QUETIF-ECHARD I. 864a). Tabulae in hac editione praecedit bella imago ligno incisa, qua fingitur S. Thomas docens, utrimque discipulis sedentibus octo, et ad S. Thomae pedes Averroes. Haec imago, quam sine dubio possidebat Alexander Calcedonius, bibliopola Venetus (cf. sub J. — Eadem imagine usus est in libro, Venetiis anno 1496 ab Otino de Luna typis excuso. HAIN 1495 ; PELLECHET 1078), phototypice exprimitur in opere : *L'arte della stampa nel rinascimento italiano. Venezia* [ed. F. ONGANIA et C. CASTELLANI], I (Venezia 1894), p. 101.

Ipsa Tabula ab Ambrosio de Alemania tam large aucta fuit, ut vix credi possit, eam usui aptiorem esse factam. Nam et in conficiendis indicibus sunt certi denique fines. Animadvertas tandem in huius Tabulae lemmate etiam enumerari duo alia Petri de Bergomo opera ; de quibus sub H et J, et p. 90.

H (fol. 323a-362b). *Concordantie dictorum et conclusionum Diui Thome de Aquino...* — Praecedit Prohemium, quod, si legeris ea quae profert GRABMANN (S. 7, 110) de Concordantiis in S. Thomae opera medio aevo confectis, parum modestum videtur. Partem huius Prohemii exscribimus : *Incipiunt ethimologie. id est. concordantie dictorum atque conclusionum. in quibus Diuus Thomas... uidetur aliquando... sibimet contradicere. licet subtilius considerantibus.omnis inuidie liuore deposito luce clarius notum existat. omnem eiusdem Diui Thome doctrinam. fuisse lucidam et claram. ac fidei catholice consonam, utpote non tam humanam repertam studio. quam diuino sibi inspiratam lumine atque influxu. necnon et tanquam ueridicam. catholicam. atque salutiferam apostolice sedis rescripto propalatam. eiusdemque apostolice sedis sacro munimine confirmatam. nullam contradictionem uel dissonantiam continere. sed mirabilis concordie prefulgere gloria.* Hae Ethimologiae seu Concordantiae libro singulari primo editae fuerunt a Petro de Bergomo, Venetiis, apud Magistrum Gabrielem [Petri] de Taruisio, anno 1476 (HAIN *2821). Verbotenus haec editio iterata fuit Coloniae, apud Arnoldum Therhoernen, 1480 (HAIN *2822 ; BMC. I. 207 ; VK. 912 ; PELL. 2077). Neutram vidi, sed ex foliorum linearumque numero patet, etiam hoc Petri de Bergomo opus multum postea auctum ab Ambrosio de Alemania.

I (fol. [1*a-10*a]). *Tabula dictionum.* — Ut Tabulae sub G laudatae commodior esset usus, hic praebetur series verborum sub quibus conclusiones exhibentur. Aptior huius seriei locus esset post folium 322, sed ex Z littera, qua fasciculus decem foliorum signatur, patet, typographum eam excudisse post absolutam Ethimologiarum tabulam. In nonnullis exemplaribus haec folia decem a libri glutinatore ad voluminis calcem fuerunt reiecta.

J (fol. 363a1-423b2). *Autoritates sacre scripture. quas Diuus Thomas... in diuersis suis libris. ad profectum animarum diligentissime exposuit...* — Tam in inscriptione Tabulae concordantiarum (fol. 4a), quam in fine voluminis (fol. 423b2 ; cf. infra), hae Auctoritates S. Scripturae dicuntur elaboratae a Petro de Bergomo. Nullam tamen huius operis editio antiqua hucusque apparuit. Quae hac de re hic illic inveniuntur indicia incerta, plenius tractantur infra post 5D.

Ad voluminis calcem typographus hanc apposuit adnotationem; quae a peritis « colophon » vocari consuevit : *Explicit Tabula cum concordantijs. et autoritatibus scripture sacre. magistri Petri Bergomensis... in omnes libros sancti Thome de Aquino... Impressa Uenetijs per Iohannem Rubeum vercellensem. cum priuilegio concesso a senatu et dominio Uenetorum. quod nullus per decem annos possit nec audeat imprimere uel uendere in dicto dominio opus istud. sub pena quinquaginta ducatorum pro quolibet uolumine. secundum priuilegium concessum et notatum. Tertio Idus Maij. 1497.*

Fol.424a ponitur « Registrum » foliorum, et paulo inferius exprimitur parva imago ligno incisa, quae est signum Alexandri Calcedonii, bibliopolae Veneti, cuius impensis liber patet esse editus, licet eius nomen in libro non occurrat. Imago phototypice exprimitur a P. KRISTELLER, *Die italienischen Buchdrucker - und Verlegerzeichen bis 1525* (Strassburg 1893), n. 204, et ab ONGANIA-CASTELLANI, *l. c.*, p. 101.

Describitur liber ab HAIN et COPINGER *2820 ; PELLECHET 2070.

Auctores haud pauci aliam adhuc memorant saeculi XV. editionem Tabulae, a Petro de Bergomo compositae, quae prodiit Coloniae, die 14ª Martii, anno 1473. Manifestum tamen est, eam ab alio auctore, cuius nomen nos latet, esse confectam. Quod non solum patet ex ipso libro, sed et ex die et anno quo prodiit. Vulgatus namque fuit tribus diebus post editionem primam Petri de Bergomo, quae die 11ª Martii anno 1473 Bononiae absoluta est.

Haec Tabula anonyma multa cura fuit confecta, licet Petri de Bergomo opere sit multo brevior, paucioraque complectatur S. Thomae opera. Quum autem sine ulla dubitatione profluat ex eodem Fratrum Praedicatorum Coloniensium coetu, cuius opera plurimi S. Thomae libri inde ab anno circiter 1470 prodierunt (cf. supra, p. 19), et in hac Tabula anonyma adsint fortasse vestigia vel sedimenta operae, quam posuit frater Laurentius Gervasii in reformando studio theologico Coloniensi, visum est eam planius tractare.

5. TABULA super libros sancti Thome de Aquino. — Tabula auctoritatum tocius biblie quas idem exponit. [Coloniae], per Arnoldum Therhoernen, Dominica Reminiscere [die 14ª Martii], anno 1473, 2°.

A (fol.1a1). Absque inscriptione liber incipit his verbis, atramento rubro excusis : *In cristi nomine. Amen. Tabula hec egregie elaborata. mittit ad singulos libros sancti thome de aquino. doctoris incomparabilis. prout in prohemio patet. Auisandus tamen est lector de quibusdam voluminibus. que non eodem passu apud omnes sunt intitulata. et precipue de quotlibetis Cum quibus hec tabula in aliquibus locis discordat. sed facile per intelligentem hoc potest aduerti. inspecto processu voluminis sui. Sunt denique floridissime sentencie eiusdem doctoris sancti in eadem annotate. breuiter et succinctim. ne appelletur fortassis*

ab improuidis opus hoc eximium. gafflia pauperum virorum lardum non habencium. quoniamquidem. Si quis originalia non habuerit. per hanc quoque ad multa poterit competenter edoceri. Remissio autem quo ad materias principales. precipue hic attenditur. et faciliter potest reperiri. quia vna proposicio crebro in pluribus locis habetur. Sicut hec sentencia probat. In principio creauit deus celum et terram. que in quinque locis verisimiliter habetur. et sic de singulis suo modo. Sunt eciam alie sentencie minus principales et breues. licet pauce respectiue. que in solucionibus argumentorum inueniuntur. et alibi hincinde. sed nemo putet quod de omnibus talibus hec tabula lectorem auiset. quia hoc esset inpossibile cum vix ad talia sufficeret opus immense magnitudinis. quod eciam non esset minus tediosum quam laboriosum. aut sumptuosum. siue preciosum. ¶ Post finem huius tabule sequitur alia auctoritatum tocius biblie quas idem exponit.

Auctor nominatim de Quodlibetis loquitur « cum quibus hec tabula in aliquibus locis discordat ». Nemo autem nescit, S. Thomae *Quodlibeta* in codicibus manu scriptis, itemque in antiquorum catalogis — S. Antonini excepto — enumerari 11 ; ab Antonino tamen et ab editionibus typis excusis 12. Vario enim modo a variis iunguntur et dividuntur. Tabula nostra Coloniensis Quodlibeta numerat 12 (cf.fol.137a2, in voce Vinum), innixa profecto editioni paullo ante Coloniae, apud Arn. Therhoernen, anno 1471 vulgatae, quae Quodlibeta habet 12, et in cuius fine, consulto certe, dicitur : *Finitur Quodlibetorum liber sicut a sancto Thoma de Aquino ordinis fratrum predicatorum positus est* (HAIN *1401 ; VK. 1146 ; PELL. 1005 ; BMC. I. 203). — Veretur auctor ne Tabula haec ab improvidis appelletur « gafflia pauperum virorum lardum non habencium ». Vox « gafflia », quae deest apud Ducange, Forcellini aliosque, idem forte est ac Caffa, Caffium, quod est vasis species, seu sacculum (Ducange). — Perhibet item auctor, quod « sentencia... In principio creauit deus celum et terram... in quinque locis verosimiliter habetur ». Re vera hic textus uno tantum loco ponitur, puta i. v. Principium (fol.109b2).

Post auctoris monitionem, quam modo exscripsimus, continuo sequitur Prologus, atramento nigro excusus :

B (fol. 1a2-b1). *Incipit tabula super libros sancti Thome de Aquino Pro cuius intellectu notandum. quod vbi inuenies sic. par significat parte et numerus precedens deseruit sibi vt scilicet sit prima uel secunda uel tercia. Si uero nullus numerus precedat...* (Des.) *cetera patent scienti figuras algorismi.* — Ex hoc Prologo manifestum est, in Tabula non esse inserta nisi Summam theologiae, Summam contra gentiles, Commentaria in ll. Sententiarum, Qq. disputatas et Quodlibeta. Longissime igitur diversa est ab opere Petri de Bergomo, quod et Commentaria complectitur in S. Scripturam, in Aristotelem, in Boethium ; item Sermones et Opuscula 52.

C (fol. 1b1-147b2). [Tabula]. (Inc.) *Abbatissa non habet prelacionem ordinariam 4.d.25.3.c. Abicere temporalia...* (Desinit tabula) *Zelotipia vnde oritur. Et quid est 3.d.27.1.* Deinde atramento rubro ; *Explicit tabula beati thome doctoris sancti ex omnibus partibus et dictis suis secundum ordinem alphabeti.*

In Tabula pluries ab una auctoritate remittitur ad alias, his ex. gr. verbis (fol.89a2) : [Natura]... *Quere Actio.i. Alimentum. i. Lex.13. etc. Peccatum 36.Prius.1.5. Xpristus.63.65.* E quibus manifestum est, auctoritates in archetypo fuisse ornatas numeri notis in margine appositis, sicuti et fit in Tabula Petri de Bergomo. Hi numeri a typographo inepte praetermissi sunt.

D (fol.147b2-159a1) : *Incipit tabula eiusdem super totam bibliam quam partim exponit in libris suis.* Haec atramento rubro sunt excusa ; deinceps nigro (fol.148a1) : *Infrascriptas auctoritates veteris ac noui testamenti exponit doctor sanctus beatus thomas de aquino ordinis predicatorum in summis provt infra notatum est.* Sequuntur textus plurimi e S. Scriptura inde a libro Genesis usque ad Apocalypsin. Ad calcem huius Tabulae atramento rubro : *Explicit tabula auctoritatum veteris ac noui testamenti quas exponit doctor sanctus beatus thomas in summis suis Impressum est totum opus et finitum per me Arnoldum ter hoernen Anno Domini. 1473. Dominica Reminiscere* [die 14ª Martii]. *De quo sit deus benedictus in secula.* Dein signum officinae Arnoldi Therhoernen. — Fol. 159a2-160 vacant.

Hain *2817 ; VK. 913 ; Pellechet 2073. Hi aliique, ex. gr. Brunet I. 788 ; A. Esser in *Kirchenlexikon*², IX. 1894, etc., hanc Tabulam tribuunt Petro de Bergomo. Errat quoque Michelitsch (I. 220), perhibens Tabulam Coloniensem esse partem operis Bergomensis. Quetif-Echard (I. 848) recte eam tribuunt cuidam Anonymo.

Brevi tandem calamo perstringere fas sit duos libros, quorum mentio fit apud auctores quin tamen certum sit an existant.

Sorbelli (p.175) ex Arvood [Harwood] laudat Petri de Bergomo *Auctoritates veteris et novi Testamenti.* Bononiae, Azzoguidus, XI Martii 1473. Hic igitur liber iisdem anno, die, loco, ab eodemque typographo dicitur vulgatus ac prima editio Tabulae, quam confecit Petrus de Bergomo. Ex antiquissimis tamen tribus editionibus (1473, 1478, 1495) nulla hanc Tabulam habet. Exstat solummodo in editione anni 1497, aucta ab Ambrosio de Alemania, qui tamen diserte eam tribuit Petro de Bergomo (cf. supra, sub 4J). An editio anni 1473 re vera existat, inquirant alii.

Memorat etiam Sorbelli (p. 227) *Tabulae*, a Petro de Bergomo confectae « un'edizione bolognese del 1481, ma non azzoguidiana che realmente esiste ancora [anno 1909] nella Biblioteca dei R.di Padri dell'Osservanza [Bononiae] ». Humanissime mecum communicavit R.P. Alfonso Pagani, librarius conventus memorati, hunc librum non amplius inveniri. Cl. Sorbelli tamen eidem R. Patri denuo affirmavit, se olim librum ibidem vidisse.

Puto equidem hic perperam commutari *Tabulam* Petri de Bergomo cum opere *Commentaria S. Thomae Aq. super epistolas S. Pauli*, quod ab eodem Petro de Bergomo « ingenti solicitudine » erat correctum et emendatum. Prodiit primo hoc opus Bononiae anno 1481, absque nomine typographi [Joh. Schreiber seu Schriver] (Hain-Copinger 1338 ; Pellechet 941 ; Reichling IV, p. 117). Haec editio re vera est « bolognese del 1481, ma non azzoguidiana ».

INDEX NOMINUM PROPRIORUM ET RERUM

Stellula (*) designat rem inveniri in infimis pagellis.

Praemittimus nomina auctorum vel operum qui saepius laudantur, additis quibus indicantur siglis, necnon locis in quibus cuiusque operis inscriptio invenitur integra.

Agostini, Giov. degli, 28*.
Alva et Astorga, De 20, 21.
Antoninus, S. 24*, 35*.
Bernardus Guidonis, 24*.
Campbell, 5*.
Catalogue British Mus. (BMC.), 5*.
Copinger, 17*.
Ehrle, 63*.
Endres, 45*.
Grabmann, 24*.
Hain, 4*.
Holtrop, 6*.
Jacob, 18*.
Mandonnet, 21.
Michelitsch, 21.
Ongania, 87.
Oudin, 21.
Paulus Soncinas, 30.
Pellechet, 4*.
Pizzamanus, 31, 33.
Possevinus, 14*, 66*.
Reichling, 28*.
Rubeis, De, 33*.
Saxius, 30*.
Sorbelli, 84*.
Tolomeus de Lucca, 24*.
Vivès, 40.
Voullième (VK.), 4*.

Aegidius de Lessinia, 27*, 61.
Aegidius Romanus, 46.
Albertistae, 15.
Albertus Magnus, 18*, 27*, 27 Add., 46, 53, 54.
Alexander Halensis, 46.
Alva et Astorga, Petrus de, 20, 21, 30*, 56, 66-67, 71-73.
Ambrosius de Alemania, 49, 53, 61, 84-88.
Anni computatio inde a 14 Dec., 33*.
Anonymus Gallus (supplement, Trithemii), 13, 14*.
Antoninus, S. 5, 22, 24, 26, 34-36, 52, 54, 56, 68, 73, 80.
Antverpia, 17.
Archidiaconus Cudestinus, 45 (bis).
Archiepiscopus Panormitanus, 39.
Aristoteles, 15*, 83, 85, 86.
Arnoldus de Tungris, 94 Corrig.
Arras (Atrebatum), 18-19.
Artistae nobiles, 47.
Augustinus, S. 10, 67, 80.
Auribelli, Martialis, 13.
Averroes, 87.
Averroistae, 44.

Bandello, Vincentius, 21.
Barbadicus, Aug., 31.
Barbavara, Joh. Ambr. 57.
Bartholomaeus de Capua, 73, 83.
Basilea, 7.
Beda, S. 80.
Belgium (Gallicum), 7, 11, 18.
Benedictus de Soncino, 28.
Bergomensis, Jac. Philippi, 86.
Bernardus, S. 60.
Bernardus Guidonis, 5, 24, 32, 34-36, 44, 56, 73.
Boethius, 68 (bis).
Bonaventura, S., 18, 46, 54, 58.
Bonelli, Benedictus, 54.
Brabantiae ducissa, 17, 45.
Brunet, J. C., 84.
Burgundia, 7, 11, 13, 18.

Calcedonius, Alexander, 87, 88.
Cano, Melchior, 3, 27*.
Cantor Antiochenus, 39.
Capitula generalia Ord. Praed.
  Parisiis, 1255 ? 57.
  Mediolani, 1255,57.
  Parisiis, 1256, 57.
  Valencenis, 1259,57.
  Parisiis, 1264,57.
  Parisiis, 1269,57.
  Viennae, 1322,52.
  Barcinone, 1323,52.

Burdigalae, 1324,52.
Novimagi, 1459,10*.
Novariae, 1465,19*.
Basileae, 1473,19*.
Causis, Liber de, 78, 80.
Clemens VI, 21.
Clément, François, 76.
Codices manu scripti :
— Eorum connexio cum libris prelo vulgatis, 4, 30, 62, 71.
— Avenionensis 251.71.
» » 253.71.
Berolinensis 852.55.
Brugensis 491.71.
Burdigalensis (Bordeaux) 131.73.
Can. S. Crucis Coloniensium, 56.
Cantabrigiensis (Cambridge) 35.72.
Claromontani, 76-77.
Huissensis, 84*.
Meermanniani, 76-77.
Musei Meerm-Westr. 10 C 13.30*, 59-60, 76-81.
Oxoniensis (Oxford) 225.71.
Parcensis an. 1282.71.
Parisiensis 15034.81.
» » 15813.44.
» Mazarinus 1060.40.
» S. Genovevae 238.40, 41, 72, 73.
» S. Victoris (Paris. 14546).40, 41, 45.
Utrecht 135.55.
» 146.57.
» 205.60.
» 297.55.
Vaticanus lat. 807.44 (bis), 46, 72.
Colonia, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 40, 54, 88-90.
Compendium theologicae veritatis, 41.
Congregatio Hollandica O. Praed., 12*.
Conventus O. P. prov. Franciae, 12, 13.
Copulatistae, 15, 21, 53, 65*.
Cusa, Nicolaus de, 40.
Cypri rex, 45.

Desportes, Philippus, 76.
Didascalus inutilis, 22, n. 2, lin. 2 (et passim).
Dionysius Areopagita, 24, 73.
Dôle, 19.
Donatus, Thomas, 85.
Dormael, J. van, notarius, 72.

Editiones recentiores, earum auctoritas, 5, 35*.
Editores Romani, 5, 28, 33-36, 37, 38, 46, 61, 68, 73. Cf. Opuscula.
Eruditione, De, principum, 34*, 47, 66*.
Espiardi, Mathurinus, 12-13, 19.
Everardus de Amorsfordia, 94 Corrig.

Flandriae comitissa, 17, 45.
Francus, Nicolaus, 32.

Gafflia pauperum virorum, 89.
Gerardus de Harderwyck, 15*, 94 Corr.
Gerardus de Monte, 15*.
Gerardus Bisontinus, 43, 71.
Gervasii, Laurentius, 14, 19, 88.
Goes, Matthias van der, 17.
Grimani, Dominicus, 28.
Guilielmus de S. Amore, 44.

Hanthaler, Chrysosthomus, 17*.
Helias Raymundus, 52.
Hemericus de Campo, 94 Corrig.
Henricus Gandavensis, 46.
Henschenius, Godefridus, 52, 53.
Hervaeus Natalis, 27*, 49.
Hieronymus Monopolitanus, 28, 49.
Hugo de Argentina, 41.
Hugo de S. Victore, 59.
Humanistarum levitas, 29.
— scriptura, 77, 81.

Innocentius Papa, 20, 21, 32, 84, 85.
Institor, Henricus, 28.

Jacobus de Amsfordia, 94 Corrig.
Jacobus de Burgo, 46.
Jacobus Viterbiensis, 59.
Janssens Elinga, Franc. 67, 67*, 72.
Johannes, O. Praed., 59.
Johannes de Genas, 13*.
Johannes Gisberti de Harderwyck, 94.
Johannes Juvenis, 10*.
Johannes de S. Geminiano, 12, 13.
Johannes de Vercellis (Theutonicus !) mag. gen., 41, 42, 45, 78.
Joseph, De virginitate S., 80.

Lambertus de Monte, 15*, 65*.
Laurentius Gervasii, 14, 19, 88.
Lector Bisuntinus, 43.
Lector Venetus, 42.
Leonardus de Utino, 12, 13.
Lilbeke, Willielmus de 71.
Lovanium, 18, 72.
Lucianus Samosatensis, 10.
Ludovicus XI, 14.
Ludovicus Ferrariensis, 28.
Ludovicus Vallisoletanus, 56.

Magistri Parisiensis, 56.
Matthaeus ab Aquasparta, 46.
Matthaeus de Cracovia, 27*, 58.
Meerman, Gerardus et Johannes, 77.
Mesnil, 76.
Miles quidam, 47.
Missae, Tractatus de periculis, 16, 17*.
Morinensis cardinalis, Johannes 10*.
Morinensis dioecesis, 6.
Murmurantes, Contra, 46.

Nardus, Franciscus, de Neritono 28.
Natalis Alexander, 53.
Nider, Johannes, 12, 13.
Numeri (ratio scribendi eos), 80.

Oliva, Joh. Paulus, 53.
Opuscula S. Thomae, v. Thomas.
Ortographia, 64.
Oudin, Casimirus, 66.
Oxonia (Oxford), 10*, 71.

Papebrochius, Daniel, 52, 53.
Parisiensis Universitas, 21, 32 84, 85.
Paulus (Barbus) Soncinas, 30-31, 37, 61-62, 67, 73, 81.
Pellechet, M., 6*.
Petrus de Bergomo.
Annus obitus, 86.
Auctoritates S. Scripturae quas exposuit. S. Thomas, 87.
Concordantiae dictorum S. Thomae, 87.
Commentaria S. Thomae in epp. S. Pauli, 90.
Tabula in opera S. Thomae, 7, 20, 23, 25-26, 30*, 38, 43, 44, 48, 49, 50, 51, 52, 61, 63, 64, 65*, 66, 67, 73, 82-90.
Petrus Hispanus, 15*.
Petrus de Palude, 81.
Petrus de Tarentasia, 41, 46, 55, 57, 58.
Philippi, Jacobus, Bergomensis, 86.
Philippus magister, 47 (bis).
Phillipps, Thomas, 77.
Phinicius, 10*.
Pius II, 12.
Pius V, 34.
Pizzamanus, Antonius, 21, 28-33, 37, 38, 49, 53, 54, 61, 62, 65, 68, 73.
Polain, M.-L., 6, 11.*
Porphyrius, 83.
Positiones, 15*.
Possevinus, Antonius, 29*, 32, 65, 66*.
Praelati et barones, 54.
Proclus philosophus, 85.
Proctor, Robert., 6, 33*.
Promptuarium, 15*, 94 Corrig.
Proprietatibus, De, 94 Corrig.

Raphael de Pornaxio, 12, 13.
Reginaldus de Piperno, 31, 39, 43, 46.
Reparationes, 15*.
Reuchlinistae, 15.
Richardus a Mediavilla, 46.
Richardus Praemonstr. 27*, 59, 63.
Rinucio d'Arezzo, 10*.

Sanderus, Antonius, 71.
Sanguis Iesu, 12, 13.
Scholderer, J. V., 6.
Scotus, Johannes Duns, 46.
Secundum S. Thomam (formula), 38.
Seraphius Urbinas, 10*.
Sforza, Ascanius, 30, 81.
Silvester, Frater, 47.
Stephanus [de Bourret], 21.
Supplementum chronicarum, 86.
Symboli divisio, 41.

Tabula Summae opusculorum, 21, 23, 26, 29, 32.
Tabula anonyma in opera S. Thomae, 88-90.
Thérouanne, v. Morinensis.
Thesaurus, 15*.
Thomas Anglicus (de Sutton ? Jorze ?), 27*, 48.
Thomas, S., de Aquino.
Legenda vitae, 31.
Translatio corporis, 20, 24, 29, 32, 53, 84, 85.
Bulla canonizationis, 31.
Officium et Missa, 32.
Approbatio doctrinae, 20, 21, 84, 85.
Sanctus, Beatus, Frater, (etc.), 62.
Denominationes honorificae, 63, 64.
Cherubicus doctor, 65*.
Concordantiae dictorum eius, 87. — Cf. infra, Opusc., 72.

OPERA.

Auctoritates S. Scripturae quas exponit, 87, 88-90.
Catena aurea, 86.
Commentaria super epp. S. Pauli, 90.
Missae, Tractatus de periculis, 16, 17*.
Orationes, 78, 79.
Quodlibeta, 83, 85, 89.
Secreto, De, 57.
Sermo de festo Corporis Christi, 78, 81.
Super Oeconomicam Aristotelis, 83, 85.
Super De somno et vigilia Aristotelis, 85.
Super Dionysium De divinis nominibus, 24, 73.
Super Librum de causis, 78, 80, 85.
Super librum Porphyrii, 83, 85.

OPUSCULA

Inscriptiones singulorum opusc., 74-75. — Item cum eorum initiis, 38-61.
Volumen opusculorum vetus, 24, 24*, 67.
Catalogi opusculorum antiqui : 24* (Tolom. de Lucca) ; 73-75 (Barth. de Capua) ; 24*, 73-75 (Bern. Guidonis) ; 24*, 73-75 (S. Antoninus) ; 56 (Lud. Vallisoletan.) ; 73-75, 83 (Petrus de Bergomo) ; 85 (Ambros. de Alemania). — Vide etiam singula auctorum nomina.
Opuscula genuina, dubia, spuria, 27, 56 (Grabmann) ; 27 (Pelster) ; 32 (Pizzamanus) ; 34, 36 (S. Antoninus, Petr. de Bergomo [cf. etiam 83], fr.

Didascalus, Editores Romani) ; 56 (Mandonnet) ; 80 H, J, K, (cod. MW).
Editiones Lovanii vulgatae, 72.
Editiones aliae, 34*. — Cf. Editores Romani.
Opusc. 1, vide Urbanus V.
» 2, p. 81.
» 3, p. 83, 85.
» 4, p. 86.
» 5, p. 30*, 79.
» 6, p. 31.
» 13, p. 24, 25*, 26, 83, 86.
» 15, p. 31.
» 17, p. 25*.
» 18, p. 31, 79.
» 19, p. 31.
» 20, p. 4, 18, 30*, 81, 83, 85.
» 21, p. 17, 79.
» 23, p. 31, 79.
» 24, p. 79.
» 25, p. 79.
» 27, p. 31.
» 28, p. 27 Add., 80.
» 29, p. 16*.
» 30, p. 24, 35.
» 31, p. 16*.
» 32 (= op. 46), p. 16*, 25*, 29*, 32, 34-36, 83.
» 33, p. 16*.
» 34 (= De impressione corpor. coelestium), p. 71-72.
» 37, p. 16*.
» 38, p. 5, 24, 30*, 34-36, 66*.
» 39, p. 16*, 30*.
» 40, p. 16*.
» 41, p. 16*, 34-36.
» 42, p. 16*, 34-36.
» 43, p. 16, 27 Add., 64, 65.
» 44, p. 27 Add., 64.
» 45, p. 80.
» 46 = op. 32.
» 48, p. 24, 25*, 29, 32, 33, 83, 86.
Opusc. 52, p. 25*, 27 Add., 29.
» 53, p. 27 Add., 29*, 32, 63.
» 54, p. 29.
» 55/56, p. 16*, 32, 83, 85.
» 57, p. 26, 29, 33, 50, 83, 85, 94.
» 58, p. 18, 25, 26, 29, 32, 33, 34, 36, 50, 52-54.
» 59, p. 5, 18, 29, 80.
» 62, p. 17, 19.
» 63, p. 17, 19.
» 64, p. 17, 18*.
» 65, p. 17, 18*.
» 66, p. 17, 18*, 63.
» 67, p. 25, 26, 50.
» 68, p. 16, 33, 80.
» 69, p. 25, 50, 72, 83, 85.
» 70, p. 25, 31, 50, 83, 85.
» 71, p. 16, 17, 18*.
» 72, p. 27 Add. — Cf. Thomas (Concordantiae).
» 73, p. 29, 33, 85-86.
Thomas de Sutton, 27*, 48.
Thomistae, 15.
Tocco, Guilielmus de, 5, 56.
Tolomaeus de Lucca, 17, 24, 34-36, 67.
Traiectum ad Rhenum, v. Utrecht.
Trithemius, Johannes, 13-14, 65.
Typographi saec. XV, 3.
Uccelli, P. A., 56, 57, 81.
Ulricus de Argentina, 46.
Urbanus IV, 20, 38, 51, 52, 54, 57, 83.
Urbanus V, 20, 29, 32, 38, 52, 53, 83, 85, 86.
Urbanus VI, 20, 53, 85.
Utrecht, 4, 17, 18. — Cf. Codices.
Veldenaer, Joh. 18.
Versor, Joh., 15*.
Vio, Thomas de, Caietanus, 28, 47.
Voulliéme, E. 6.
Wenssler, Michel, 7.
Westreenen van Tiellandt, Guil., 76-77

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 8-9. — Littera grandis Q atramento est adscripta.

Pag. 15, nota 2. — Adde : VK. 164-167 (Arnoldus de Tungris), 408 (Everardus de Amorsfordia), 438-446 (Gerardus de Harderwyck ; n. 442 est Iohannis Gisberti de Harderwyck. Cf. VK., S. 542, Corrigenda), 546 (Hemericus de Campo) ; 610 Iac. de Amsfordia), 979-981 (Promptuarium), 983 (Proprietatibus, De).

Pag. 51. — Causa ob quam apposita fuerunt verba » Finiuntur opuscula Doctoris Sancti » est fortasse mors fratris Didascali, qui obiisse perhibetur anno 1483 (cf. p. 14).

Pag. 73. — BER inter S. Thomae opera maiora enumerat etiam op. 57 : *Officium de SS. Corpore Christi*. Ideoque :

Pag. 74, ad op. 57, sub BER. dele — et pone *.

IMPRIMÉ PAR DESCLÉE, DE BROUWER ET Cie
41, RUE DU METZ, LILLE. — 2.552.

BIBLIOTHEQUE THOMISTE

Collection d'études historiques
sur la vie, les écrits et la pensée de S. Thomas d'Aquin

La *Bibliothèque thomiste* dont la *Revue des sciences philosophiques et théologiques* a entrepris la publication sous la direction du P. MANDONNET, O. P. se propose de faciliter et de promouvoir l'étude historique de la vie, des écrits et des doctrines de S. Thomas d'Aquin.

Son programme s'étend de la période qui précède immédiatement l'éclosion de la pensée thomiste jusqu'à celle où commence à s'affirmer son influence dans l'enseignement des Universités, c'est-à-dire depuis les premières années du XIII^e siècle jusqu'aux premières années du XIV^e.

Reste d'ailleurs comprise dans ce programme toute étude sur les auteurs ou sur les textes antérieurs à S. Thomas, capable d'éclairer de quelque manière la formation de la pensée du S. Docteur. Ultérieurement la *Bibliothèque thomiste* étendra ses travaux à l'histoire de l'École thomiste.

La *Bibliothèque thomiste* est ouverte à tous les travailleurs et ne pose d'autres conditions à ses collaborateurs que celles exigées par l'application d'une méthode rigoureusement scientifique.

Les volumes ou fascicules paraissent sans périodicité régulière.

Pour tout ce qui concerne la Direction de la *Bibliothèque thomiste* s'adresser à M. P. MANDONNET, 31, avenue du Château, Bellevue (Seine et Oise).

Pour tout ce qui concerne l'Administration, s'adresser à M. l'ADMINISTRATEUR DE LA BIBL. THOMISTE, Le Saulchoir, Kain (Belgique). Les conditions de publication sont indiquées en temps utile pour chaque ouvrage. Une réduction de **20** % est consentie aux abonnés de la *Revue des Sciences philosophiques et théologiques*.

Prière d'adresser directement les commandes à M. l'ADMINISTRATEUR DE LA BIBL. THOMISTE, LE SAULCHOIR, KAIN (Belgique).

Compte de chèques postaux :

Pour la France : LILLE, C. c. 158 87, Georges SYNAVE, 32, rue de Lille, ROUBAIX (Nord).

Pour la Belgique : C. c. 1340 65, Georges SYNAVE, Kain.

REVUE DES SCIENCES PHILOSOPHIQUES ET THÉOLOGIQUES

Trimestrielle

Publiée sous la direction d'un groupe de Dominicains français professeurs au Collège théologique du Saulchoir, Kain (Belgique).

Prix de l'Abonnement : France et Belgique **30** fr.
Autres Pays **32** fr.

Administration : Librairie VICTOR LECOFFRE, J. GABALDA, rue Bonaparte 90, Paris.

MÉLANGES THOMISTES

Publiés par les Dominicains de la Province de France
à l'occasion du VI^e Centenaire de la Canonisation
de Saint Thomas d'Aquin (18 juillet 1923).

SOMMAIRE :

P. Mandonnet : La canonisation de S. Thomas d'Aquin.
J. Destrez : Les disputes quodlibétiques de S. Thomas d'après la tradition manuscrite.
P. Synave : Le commentaire sur les quatre Évangiles d'après le Catalogue officiel.
M.-D. Chenu : Commentaire historique de la II^a II^ae q. 1, a. 2.
L. Misserey : Contribution à l'histoire du vœu solennel.
A. Lemonnyer : Les Apôtres comme Docteurs de la foi.
A.-D. Sertillanges : L'être et la connaissance.
R. Garrigou-Lagrange : La première donnée de l'intelligence.
A. Gardeil : La perception expérimentale de l'âme par elle-même.
F.-A. Blanche : L'abstraction.
M.-D. Roland-Gosselin : L'erreur.
H.-D. Noble : L'action volontaire.
Ch.-V. Héris : L'amour naturel de Dieu.
M.-S. Gillet : Le moral et le social.
Th. Bésiade : La justice générale.
Ét. Hugueny : L'État et l'individu.
G. Théry : David de Dinant d'après le B. Albert le Grand et S. Thomas d'Aquin.

1 vol. gr. in-8° de 412 pp.. . . . . **28** fr. (*franco* : **30** fr.)
Pour les abonnés de la *Rev. des Sc. Ph. et Théol.* **23** fr. (*franco* : **25** fr.)

Extrait des MÉLANGES THOMISTES :

LA CANONISATION DE SAINT THOMAS D'AQUIN

par **P. Mandonnet, O. P.**

1 broch. gr. in-8° de 48 pp.. . . . . **2** fr. **50** (*franco* : **2** fr. **80**)
Pour les abonnés de la *Rev. des Sc. Ph. et Th.* **2** fr. (*franco* : **2** fr. **30**)

IMP. DESCLÉE, DE BROUWER ET C^ie, LILLE. — 2.552

208.65 Bibl. Thomiste 4 32388
B 471

KRUTWAGEN, B.
AUTHOR

S.Thomae de Aquino Summa Opusculo-
TITLE rum Anno Circiter 1485 Edita

DATE LOANED | BORROWER'S NAME

JUL 1 5 1983

32388